



**Vak 43**

**34**







# INTRODUCTIO

IN

# SACRAM THEOLOGIAM

AD USUM

SEMINARII BUSCODUCENSIS.


CURA ET STUDIO

A. GODSCHALK

PROF. SEMIN.



Theologia a Deo docetur,  
Deum docet et ad Deum ducit.  
ALBERTUS MAGNUS.




Gestel St. Michaëlis,

EX TYPOGRAPHIA DIOECESIS BUSCODUCENSIS IN  
INSTITUTO SURDO-MUTORUM,

1875

IMPRIMATUR.



Haaren, 18 Decembris 1875.

**J. Cuyten,**  
*Libr. Cens.*

## M O N I T U M.



*Introductionis in Theologiam* denominatione nonnunquam intelligitur illud disciplinae genus quod, tanquam praeambulum Theologiae *specialis* seu *proprie dictae*, eas scrutatur quaestiones, quae scientiam istam logice antecedunt. Profecto, ut doctrina religionis Christiano-Catholicae (qua de re in cursu Theologico proxime ac proprie disseritur) ex divina revelatione, prout ea in Christo Domino completa fuit, et ab Ipso infallibili Ecclesiae suae magisterio velut sacrum et inviolabile depositum commissa est, modo scientifico eruatur, demonstretur ac vindicetur, quatuor argumentorum genera in antecessum nota atque perspecta sint oportet. Primum, ordine analytico, est *demonstratio catholica*, cujus officium ac finis est ostendere, inter omnes coetus, qui Christiano nomine gloriantur, solam Ecclesiam Romano-Catholicam iis praefulgere notis aut signis, quibus auctor fidei et consummator Jesus Ecclesiam suam instructam esse voluit; atque adeo ipsam unam habendam esse ut Ecclesiam Dei vivi, columnam et firmamentum veritatis.

Alterum est *demonstratio Christiana*, cujus proprium munus ac scopus est probare et palam facere, religionem Christianam vere esse divinam; imo inter omnes religiones, quae se revelatas dicunt, in praesenti rerum ordine (abrogata n. p. lege Mosaica) solam esse divinitatis caractere insignitam. Tertium est *theoria revelationis*, sive demonstratio eorum, quae ad revelationis divinae notionem, possibilitatem, necessitatem et existentiam, hujusque existentiae criteria ac cognoscendi media pertinent. Quartum est *theoria religionis*, seu demonstratio veritatum earum, quibus ceu totidem fundamentis ipsamet religio naturalis consurgit ac nititur: puta existentiae unius Dei, infiniti, sancti et providi; immortalitatis ac libertatis animae humanae; officiorum quoque, quae inde fluunt hominis erga Deum, proximum et semetipsum. — Haec et alia hujusmodi disciplinarum genera, quae recentiores rerum sacrarum explanatores Theologiae *generalis* aut *fundamentalis* titulo inscribere solent, Theologiae *speciali* seu proprie dictae logice praesupponuntur; possunt igitur *Introductionis in Theologiam* denominatione jure meritoque designari. Verum eo non spectat praesens tractatio nostra. Materia ista in cursu philosophico pro majori parte absolvitur. Reliqua vero, ea nempe quae demonstrationem catholicam proxime respiciunt, in tractatu *de Ecclesia* n. 74 seq. cum verae Ecclesiae notis seu proprietatibus una simul expendantur applicanturque. Plura etiam huc spectantia, nimirum



*de religione revelata et Ecclesia Christi*, sermone eleganti ac splendido exhibit Concilium Prov. Ultraj. anni 1865 Tit. I. Et hac quidem de causa ex tempore illo, pro ampliori Theologiae candidatorum utilitate, Titulum istum in limine cursus Theologici explanare consuevimus, ejusdemque iteratam lectionem ac meditationem omnibus Evangelii ministris, praesertim vero Theologiae studio-  
sis, non possumus non maxime commendare.


At vero praeter haec, quae generalia et fundamentalia sunt, ipsamque Theologiam specialem seu proprie dictam logice anteverunt, dantur alia quae scientiam illam, primum ac proprium cursus Theologici objectum, propinquius attingunt, et cum ea quasi indivulse conjunguntur. Quaestiones istas, quarum notitia necessaria, aut certe summopere utilis est, ut rerum tractandarum clara et distincta idea acquiratur, per modum *Introductionis in sacram Theologiam* aperire breviterque evolvere, scopus est hujus opusculi.

---

## ORDO TRACTATUS.



- CAPUT I. De natura, objecto et fine S. Theologiae.  
„ II. De necessitate et praestantia Theologiae.  
„ III. De variis Theologiae divisionibus.  
„ IV. De principiis, argumentis et regulis Theologiae.  
„ V. De fontibus seu locis Theologicis.  
„ VI. De variis veritatum gradibus in Theologia distinguendis.  
„ VII. De ratione seu methodo docendi et discendi Theologiam.  
„ VIII. De rationis naturalis usu et abusu in S. Theologia.  
„ IX. De vera et falsa doctrinae revelatae progressionem.  
„ X. De methodica Theologiae universae distributione in varios Tractatus particulares.



## Caput I.

### De natura, objecto et fine S. Theologiae.

- I. Quid Theologiae nomine universim intelligatur? indicando praecipuas termini illius acceptiones.
- II. Quomodo Theologia, in sensu proprio et consueto accepta, definiri possit? definitionem exponendo.
- III. Unde pateat, Theologiam sic acceptam, jure optimo scientiae nomine condecorari? addendo 2) qua ratione aut modo scientia ista cum a Philosophia tum a fide Theologica potissimum discrepet? 3) quae differentia Theologum inter et simplicem fidelem prae caeteris attendenda sit.
- IV. Quod sit Theologiae objectum cum materiale tum formale?
- V. Quis tandem sit finis, quem S. Theologia sibi praestitutum habet?

---

I. Theologia secundum nominis etymon (componitur enim ex duplici vocabulo graeco θεος et λογος) idem sonat ac *sermo Dei*, seu potius *sermo de Deo*. Quamvis enim Theologia vere recteque dicatur sermo Dei, in quantum scilicet doctrina ejus a Deo docetur, seu ab Eo tradita supponitur; passim tamen scientiae et artes denominantur a re vel objecto, *de quo* in iis disseritur:

unde et Theologia potius dicitur sermo de Deo, in quantum np. Deum docet, seu de Deo loquitur. Quum vero multiplex detur respectus, sub quo Deus considerari vel de ipso agi potest, iccirco secundum vulgarem nominis significationem per Theologiam ordinarie intelligitur *sermo de Deo rebusque divinis* — postremis hisce verbis iis indicatis materiis, quae praeter Deum, ob specialem ad Ipsum relationem, in ea pertractari consueverunt. — Porro cum plures habentur modi, quibus de Deo rebusque divinis sermo fieri possit, pluribus etiam modis Theologia sic considerata accipi potest ac solet. Videlicet

a) In sensu *latiori*, complectitur quemlibet de Deo rebusque divinis sermonem, etiam falsum, aut naturalem tantum. Et hoc quidem modo quaevis religionis pertractatio, etiam ea quam Sectarii et Haeretici ementitae aut male intellectae revelationi superstruunt, vel ipsimet Philosophi et Increduli solo rationis lumine instituunt, nonnumquam Theologiae nomine insiguntur. Pari modo etiam simplex religionis expositio, prout ea a scientifica illius explanatione distinguitur, quandoque Theologia appellatur.

b) In sensu *proprio* sed *restricto*, primis Ecclesiae sacculis, Theologiae nomen saepius usurpatum legitur pro ea sacrae doctrinae parte quae, vera revelatione duce, de Deo ejusque attributis specialiter edisserit; reliquis, quae nimirum Verbi incarnationem, et hominum per Christum redemptionem proxime concernunt, *oeconomiae* voce designatis. Et hoc quidem sensu S. Joannes singulari ratione *Theologus* nuncupatus fuit, quoniam prae aliis Evangelistis Verbi divinitatem magis luculenter asseruit. Eo quoque sensu S. Gregorius Naz. inter ceteros Ecclesiae doctores *Theologi* nomen obtinuit ob

egregia sua scripta, quibus Filii et Spiritus S. divinitatem contra Arianos et Macedonianos vindicavit. cfr. Petavius *Prolog. in dogm. cath.* cap. I, item Tournely *de Deo et div. attrib.* disp. praev. q. I Art. I.

c) Tandem in sensu *proprio* et *consueto*, prout jam pridem Theologiae nomen in Scholis catholicis accipi coepit, comprehendit ac denotat scientificam universae doctrinae christiano-catholicae pertractationem.

II. Theologiam sic acceptam genuinâ ratione exprimere volentes, Theologi catholici ipsam hoc vel simili modo definiunt: „Scientiam de Deo rebusque divinis ex revelatione haustam”, vel „Scientiam de Deo et rebus ad Deum pertinentibus ex principiis revelationis discursivam”; quandoque etiam „Scientiam revelatorum”, aut „Scientiam fidei” simpliciter appellant. Certe cùm scientia, seu certa et evidens cognitio, de Deo rebusque divinis ex revelatione legitime deduci nequeat, nisi haec ipsa in se vera ac certa sit; nec alia vera ac certa religio habeatur nisi Romano-catholica; consequens est, praefatas definitiones uni catholicae Theologiae reapse convenire. Verumtamen, quia et haeretici et plures christiani nominis hostes suam de Deo rebusque divinis doctrinam ex revelatione haurire solent; idcirco, pro majori rei claritate et evidentiâ, Theologia catholica cum recentioribus scriptoribus in hunc modum apte definiri potest: *Scientia de Deo rebusque divinis a vera revelatione convenienter revelationis principiis deducta.*

Dicitur 1<sup>o</sup> *scientia*: siquidem Theologia non sistit in simplici aut vulgari doctrinae christianae cognitione, qualis in quovis fidei habetur aut saltem haberi debet, sed veritatum credendarum ac practicandarum essentiam

et naturam, nexum et relationem, sequelas et difficultates, etc. perscrutari atque illustrare adnuitur: verbo, *eruditam* earum persequitur cognitionem; de cujus necessitate et praestantia inferius cap. II plura dabuntur.

Dicitur 2<sup>o</sup> *de Deo rebusque divinis*: hisce verbis indicatur objectum materiale, *de quo* in S. Theologia describitur. Quaecumque enim in scientia illa pertractantur (prout inferius q. IV latius declarabitur) vel Deus sunt, vel ad Ipsum, tanquam principium aut finem eorum, referuntur. Duobus igitur verbis istis — *de Deo rebusque divinis* — universa Theologiae materia, utut ampla et diversa illa sit, aptissime comprehenditur: prior nempe terminus exprimit objectum ejus primum, quod est Deus; posterior vero objectum illius secundarium, quod constituunt res reliquae, ad Deum tanquam principium aut finem earum ordinem habentes, quaeque ideo rerum divinarum nomine meritò insignantur.

Dicitur 3<sup>o</sup> *a vera revelatione convenienter revelationis principii deducta*: verbis istis, quibus Theologia catholica a quavis alia scientia discernitur, etiam eâ, quae falsae revelationi innititur, vel ex vera revelatione fallaciter deducitur, quatuor prae caeteris designantur:

a) Omnes et solas veritates a vera revelatione deductas, quae nimirum in ea formaliter continentur, vel ex ea logice consequuntur, efficere objectum *quod* Theologiae, seu doctrinam in illa tradendam; adeoque et objectum, *de quo* in illa agitur, Deum np. et res divinas, prout mox fuit dictum, in S. Theologia considerari, quatenus revelatione duce cognoscibiles sunt; et hoc quidem sensu ipsa Theologia cum cl. Franzelin *Tract. de div. trad. et Script.* p. 3. definiri potest: „Scientia veritatum a Deo revelatarum sub formali ratione, quatenus revelatae sunt.”

b) Ipsam Dei revelationem, ejusque infallibilem auctoritatem, constituere primum cognitionis Theologicae principium. Tametsi in scientia Theologica duo lumina concurrant, revelatio scilicet, principia argumentationis subministrans, et ratiocinium, cujus ope conclusiones ex iis eruuntur; primum tamen et potius medium, quo res Theologicae cognoscuntur, est Dei revelatio; primum etiam et potius motivum, ob quod mentis assensus iis praebetur, est Dei auctoritas seu veritas in dicendo. Et hac quidem de causa cum S. Thoma *Summa Theol.* p. I q. I Art. III. dici solet, quod Theologia non multiplex, sed una specie scientia sit, utpote Dei revelationi, ejusdemque auctoritati primarie innixa. cfr. Tournely *Disp. praev.* q. III. Art. I.

c) Theologiam non sistere in sola revelatorum propositione seu exhibitione, sed illius qua scientiae proprium esse, veritates revelatas evolvere ac stabilire: conclusiones Theologicas ex iis deducendo, suasque assertiones congruis argumentis comprobando.

d) Hanc ipsam deductionem et probationem instituendam esse „convenienter revelationis principiis”: h. e. prout ista, non a quolibet homine aut secta particulari privato judicio intelliguntur vel ad proprios sensus detorquentur, sed ab Ecclesia catholica, cujus est revelationem divinitus datam conservare, interpretari ac propagare, jugiter intellecta et tradita sunt.

III. Theologiam sic consideratam jure optimo *scientiae* nomine condecorari, patet 1<sup>o</sup> ex ipsa Scriptura sacra, in qua amplior revelatorum cognitio saepius *scientiae* nomine insignitur. Sic Jerem. III. 15. dicitur: *Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos SCIENTIA*

*et doctrina.* Et S. Paulus I Cor. cap. XII varia Spiritus S. charismata recensens, inter alia haec habet: *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae; alii autem sermo SCIENTIAE, secundum eundem Spiritum.* Et rursum S. Petrus II epist. I. 5. ita scribit: *curam omnem subinferentes, ministrare in fide vestra virtutem, in virtute autem SCIENTIAM.* Patet 2<sup>o</sup> a ratione, seu ex eo, quod S. Theologia in sensu generico, vero tamen et proprio, habeat ea, quae ad scientiam universim sumptam ex communi sententia requiruntur ac satis sunt. „Ad rationem scientiae (inquit Sylvius p. I q. I Art. II., hac in re communem sensum referens) sufficiunt duo: unum, ex parte conclusionum, scilicet quod necessario deducantur ex principiis; aliud ex parte principiorum, scilicet quod sint certa: sed utrumque illorum habet Theologia: ergo est scientia.” Diximus *in sensu generico*, etc. Concedimus enim, principia revelationis, ex quibus argumentatur S. Theologia, utut certa et credibilia illa sint, non esse intrinsece evidentia; atque adeo in S. Theologia, prout a scientia Dei et Beatorum in coelis distinguitur, non reperiri quod Philosophi cum Aristotele ad scientiam principiis naturalibus innixam postulare solent. Verum, hoc etiam obstante, S. Theologiam jure merito scientiam nuncupari, vel inde confirmari potest, quod defectus iste aliunde copiose suppleatur. Namque, ut cum Sylvio l. c. denuò loquamur, „praemissas Theologicas tenemus fide, quae est melior et certior habitus, quam intellectus principiorum (in ceteris scientiis); evidentiae igitur defectum, qui in Theologia nostra reperitur, Deus nobis compensat majore certitudine, quae est in principiis et conclusionibus Theologiae propriis.” Unde et maximi Theologi, etsi in modo explicandi diversa ince-



dant via, duce Thoma p. I. q. I. Art. II. communiter affirmant, „sacram doctrinam scientiam esse.”

2) Plura sunt, in quibus scientia ista cum a Philosophia, tum a fide theologica discrepat. At pro scopo nostro satis erit, earum differentias summarie indicare. Itaque quod ad Philosophiam attinet, duo praesertim sunt, in quibus illa a Theologia distat: nimirum quoad principium *cognoscendi*, et objectum *quod*, seu doctrinam in iis traditam. Philosophia, sola ratione duce incedens, pro objecto habet veritates naturaliter cognitae; Theologia verò, divinae revelationi primarie innixa, occupatur veritatibus a revelatione deductis.

Denique quod ad fidem spectat, illa quidem quadrupliciter a scientia Theologica distinguitur. a) In ratione *habitus*: fides Theologica est habitus, seu virtus supernaturalis, a Deo infusa; Theologia vero regulariter habitus naturalis est, studio et labore acquirendus. b) In ratione *actus*: per fidem enim simplici (attamen firmo) assensu creditur quidquid Deus revelavit, et Ecclesia credendum proponit; Theologia autem circa revelata discurrit, eruditam persequens cognitionem; non sane dubitando, aut revelationis doctrinam ad rationis naturalis tribunal revocando (talis agendi ratio prorsus rationalistica foret); sed eam ipsam rationis ope scientificè illustrando ac vindicando. c) Quoad principium *cognitionis*: siquidem fidei Theologicae unicum principium ejusmodi est divina revelatio ejusdemque infallibilis auctoritas; in scientia autem theologica, juxta superius dicta, duo lumina concurrunt, revelatio scilicet divina, et naturalis hominis ratio. d) Quoad *objectum* seu doctrinam: fidei theologicae objectum sunt omnes et solae veritates a Deo revelatae; Theologia autem pro objecto habet non solum

*Nata: si habitus  
Theologiae naturalis  
est habitus naturalis  
non est habitus naturalis  
non est habitus naturalis*

ea quae creduntur, sed etiam conclusiones ex veritatibus fidei rationis ope convenienter deductas.

3) Ex iis, quae mox de discrimine Theologiam inter et fidem stabilita sunt, sponte suâ fluit, in quibus Theologus a simplici fidei potissimum differat: enimvero quod de rebus istis in abstracto verum est, etiam in sensu concreto applicari potest ac debet. Verum, ubi sermo est de Theologo et simplici fidei, aliud discrimen in ratione *officii*, quod singulo incumbit, memoratu dignum est. Nimirum in viro theologico duplex munus seu officium sedulo distingui debet: unum eidem cum quovis fidei commune, quo nempe sicut simplicissimus hominum, adstipulante Dei gratia, propter infallibilem Ipsius veritatem firmissime assentitur omnibus a Deo revelatis et ab Ecclesia ad credendum propositis, juxta monitum Apostoli (II Cor. X. 5.) *in captivitatem redigens omnem intellectum in obsequium Christi*; alterum eidem quâ ministro Evangelii et doctore populi proprium, quo nempe creditorum scientiam assequi studet; „qua scientia, teste Augustino *de Trin.* L. XIV. cap. I. n. 3., non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quae non nisi aeterna est: aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum et piis opituletur, et contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus” (I Cor. XII. 8.)

IV. Ut Theologiae objectum (qua de re superius nonnulla jam dicta sunt) accurate determinetur, animadvertere juvat, quod scientiarum objectum in sua generalitate dupliciter sumi possit: videlicet pro materia, de

qua in iis agitur, et pro doctrina in iis tradita. Primum, objectum *de quo*, vel etiam subjectum (attributionis seu considerationis, non inhaesionis) vocitatum, dividi solet in materiale et formale, prout np. res, de qua agitur, in se spectatur, vel secundum rationem aut modum, quo in scientia attingitur. Alterum, objectum *quod* vulgo dictum, pari modo, diversa tamen ratione, distinguitur in materiale, seu id quod sciendum proponitur, et in formale, seu medium quo intellectus in cognitione ducitur simul et motivum ob quod assensus datur. Hoc praemisso

Dicimus 1<sup>o</sup> objectum *materiale* Theologiae, priori modo acceptum, constituunt Deus et res divinae, in quantum revelatione cognoscibiles sunt. Objectum autem *formale*, seu ratio sub qua Deus et res divinae in Theologia attinguntur, cum S. Thoma p. I. q. I. Art. VII. reponi potest in ipsa Deitate. „Omnia (ita scribit Doctor angelicus l. c.) tractantur in sacra doctrina *sub ratione Dei*, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium et finem.” Et sane quaecumque Theologiae ambitu continentur, etsi plura eorum, e. g. quae de creatione et incarnatione, de gratia, justificatione et merito, de sacramentis et sacrificio, etc. etc. ibidem traduntur, sub alia ratione spectari videantur; omnia tamen illa, et alia id genus plura, de quibus in Theologia cum dogmatica tum morali sermo est, ad Deum *qua Deum*, sive ut effectus ad principium, sive ut media ad finem, ultimò referuntur: ipsa igitur Deitas ratio primaria est, sub qua cuncta in Theologia pertractantur. cfr. Herincx *Proel. in univ. Theol.* n. 16. item Billuart *Diss. prooem.* Art. V.

Dicimus 2<sup>o</sup> Objectum *materiale* Theologiae, posteriori

modo consideratum, efficiunt omnes et solae veritates a vera revelatione convenienter deductae. Formale *quo*, proximum est ratiocinium, cujus ope conclusio ex praemissis seu principiis revelatis deducitur; remotum vero, attamen primarium aut principale, est divina revelatio, principia argumentationis suppeditans. (cfr. dicta p. 11). Formale *ob quod*, proximum est ipsa connexio conclusionis cum praemissis; remotum vero, at primarium seu principale, idem est ac fidei motivum, Dei scilicet auctoritas seu veritas in dicendo. Re enim vera, sicut in disciplinis naturalibus quaelibet veritatis demonstratio a quodam *rationis* principio, seu veritate per se nota et clara, ultimo repetitur, ita vicissim in rebus theologicis omnis veritatis inquisitio, disputatio, aut demonstratio in ultima analysi ad unum *auctoritatis divinae* principium revocanda, vel ab ea deducenda est. „Testimonium primae veritatis, inquit S. Thomas quaest. XIV *de veritate* Art. VIII., se habet in fide, ut principium in scientiis demonstrativis.” Quod autem D. Thomas hic de fide in terminis asseverat, illud ipsum pari modo etiam scientiae Theologicae, seu eruditae revelatorum cognitioni, applicari potest ac debet.


*Nota.* Quamvis omnes et solae veritates a vera revelatione convenienter deductae constituent objectum materiale *quod* S. Theologiae: hoc tamen non obstat, quominus plures veritates in revelatione contentae, et quales ad Theologiam spectantes, etiam rationis lumine, independenter a revelatione divina, certo cognosci valeant, prout infra cap. VIII. q. IV. latius explicabitur. Nihil quoque ex capite illo impedit, quominus in cursu theologico quandoque accidentaliter aut secundario modo admisceantur quaestiones quaedam rationis lumine solum cognitae. Superius dicta intelliguntur de *vero* et *proprio* Theologiae objecto.

V. Finis tandem aut scopus, quem Theologia sibi praefixum habet, praeter Dei gloriam aeternamque hominum beatitudinem — quae sane Theologiae non secus ac ipsius revelationis finem ultimum constituunt — triplex potissimum assignari potest. 1<sup>o</sup> Eorum, quae fides exhibet, perfectiorem quaerere intelligentiam, qua nempe juxta effatum D. Augustini *de Trinit.* L. XIV. cap. I. n. 3. „fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur:” aliis verbis, qua fides hujusmodi non quidem producitur (haec enim quantum ad *habitus*, a Dei gratis infunditur; et quoad *objectum creditum*, adjuvante gratia, ex auditu et praedicatione Evangelii habetur secundum illud S. Pauli ad Rom. X. 17. *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*), sed per scientificam dogmatum declarationem et demonstrationem, adversariorumque confutationem, magis efflorescit ac solidatur. 2<sup>o</sup> Idoneum efformare Evangelii ministrum, qui np. juxta monitum S. Pauli ad Tit. I. 9. *potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.* 3<sup>o</sup> Perficere opus Christi, fidelium scilicet consummationem in fide et moribus. Unde idem Apostolus ad *Ephesios* cap. IV. varia Christi dona enumerans eorumque finem denuntians, ibidem v. 11—13 hoc modo scribit: *et Ipse (Christus) dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.*

## Caput II.

## De necessitate et praestantia S. Theologiae.

- I. An et quatenus scientia theologica necessaria sit; et quid inde 2) deducere liceat cum respectu ad studium theologicum?
- II. Quid, attentâ Theologiae naturâ aut qualitate, de ejusdem praestantia generatim statui possit?
- III. In quibus S. Theologia ceteris scientiis nominatim antecellat seu praestet?



I. De necessitate scientiae theologicae illud in primis animadvertendum est: in quovis fideli, praeter fidem, sine qua *impossibile est placere Deo* (ad Heb. XI. 6.), eam religionis notionem exoptari ac desiderari, quâ certo sibi constet, Deum esse locutum, Eidemque, quemadmodum sapientissime docet Apostolus ad Rom. XII. 1. *rationabile obsequium* exhibeat; quâ insuper juxta monitum Principis Apostolorum (I Pet. III. 15.) paratus sit, *ad satisfactionem omni poscenti ipsum rationem de ea quae in ipso est spe*. Verum de hujusmodi notione, sive scientia theologica latiori sensu accepta, heic sermo non est. — Illud denuo pro majori quaestionis, de qua agitur, delineatione advertendum est: scientiam Theologicam pressius sumptam pro eo disciplinae genere, quod superius cap. I. q. II. descriptum fuit, considerari posse vel secundum *substantiam*, vel secundum *modum* quo

docetur ac discitur. Etiam de *modo* docendi atque discendi Theologiam hîc non quaeritur (ea de re infra cap. III. q. III. et latius cap. VII. verba fient); sed de scientia Theologica, substantiâ tenus seu in se spectata, res hoc loco agitur. — Hisce praelibatis, respondetur

1<sup>o</sup> Scientia theologica, seu erudita religionis cognitio, *omnibus et singulis* necessaria non est. Licet enim quilibet fidelium, secundum mox dicta, paratus esse debeat, suo modo rationem reddere de ea quae in ipso est spe; omnes tamen et singuli non tenentur fidei suae doctrinam diserte exponere, eamque a perduellium fraudibus et sophismatibus vindicare. Hinc ipsemet doctor gentium I. Cor. XII. 29. ait: *numquid omnes Apostoli? numquid omnes prophetae? numquid omnes doctores?* Et Tertullianus *de praescript.* cap. XIV ita scribit: „Fides tua te salvum fecit, non exercitatio Scripturarum. Fides in regula posita est: habes legem, et salutem de observatione legis: exercitatio autem in curiositate consistit, habens gloriam solam de peritiae studio. Cedat curiositas fidei, cedat gloria saluti; . . . adversus regulam nihil scire, omnia scire est.”

2<sup>o</sup> Scientia Theologica, etsi non singulis, est tamen ex communi sententia *ipsimet Ecclesiae* seu reipublicae christianae, omnino necessaria, quod sine hujusmodi erudita cognitione Evangelii praedicatio, animarum directio, ceteraque munia Ecclesiae ministris imposita, rite adimpleri nequeunt. „Primum, inquit Melchior Canus *de loc. Theol.* L. I. cap. II., stringat fidei sermonem necesse est, quicumque Christianae scholae magister esse volet; sed nisi mox doctrinae rationem adhibeat, fidelis quidem esse poterit, sed fidelium doctor esse non poterit.” Et Gregorius M. in libro *de cura pastorali* part.

I. de iis, qui ad magisterium ecclesiasticum assumendi sunt, verba faciens, tractatum suum exorditur verbis istis: „Nulla ars doceri praesumitur, nisi intenta prius meditatione discatur. Ab imperitis ergo pastorale magisterium qua temeritate suscipitur, quando ars est artium regimen animarum.” At vero quid opus est plura testimonia congerere? Ipsemet Theologiae finis, de quo supra cap. I. q. V., memoratam necessitatem demonstrat. Re enim vera, ubi finis intentus in se necessarius est, illud etiam necessarium reputandum est, sine quo finis iste aut nullo aut certe non convenienti modo apprehendi potest. Porro in casu dato rem ita se habere, in comperto est: finis quippe Theologiae propositus in se haud dubie Ecclesiae necessarius est; ipsa vero Theologia, seu erudita revelatorum cognitio, secundum ordinarium Providentiae cursum, medium unicum est, quo finis iste attingi potest ac debet. Dicendum igitur, Theologiam seu scientiam Theologicam ipsimet Ecclesiae omnino necessariam esse. Plura videsis apud Sylvium p. I. q. I. Art. I quaer. 2<sup>o</sup>., Tournelium *de Deo et div. attrib.* disp. praev. q. I. Art. III. et alios.

2) Haec cum ita sint, si scientia theologica in ministris Ecclesiae omnino requiratur, ut munera sibi demandata rite exequantur, concludere inde licet, non minorem esse necessitudinem *studii* theologici, utpote quod via ordinaria est, quâ scientia ista acquiri et conservari debeat. Ne videar rem amplificare, aut de meo aliquid proferre, satis erit hîc adscribere, quid de studiorum necessitate, ut quis confessarii munere apte fungatur, inter alios docet Bened. XIV, vir sane non sublestae fidei in hac materia. „Duo profecto, ita scribit *Instit.* 32, n. 1<sup>o</sup> et 4<sup>o</sup>, certissima sunt: primum quidem



Theologiae moralis scientiam illis omnino necessariam esse qui tanquam Parochi aut sacerdotes pro administrando Poenitentiae Sacramento constituti, Confessarii munere rite perfungi velint; alterum non satis esse quod eandem facultatem aliquis semel percurrerit, perceperit ac palam etiam docuerit, sed assiduo excolendam, ut animo penitus defigantur ea quae didicerit, et nova semper documenta, quibus ea facultas plurimum affluit, comparentur. . . . . Utinam non contingeret, quod tamen frequentissime videmus, aliquos nempe sacerdotes, qui initio praeclarissime confessarii munus susceperunt, inde post diuturnum tempus omni studiorum cura neglecta, pristinam moralis Theologiae scientiam amittere, ita ut qui in ejusmodi arte peritissimi fuerant, tandem exigua solum confusaque istius artis scientia primisque rudimentis instructi, vix inter tyrones adnumerentur. Cardinalis Fredericus Borromaeus, qui sancti Caroli propinqui sui virtutes et sedem occupavit, hanc calamitatem deploravit, et opportune perpendit eos confessarios et Ecclesiae ministros in magno discrimine versari, qui postquam ad excipiendas confessiones ab Episcopo probati fuerunt, omnem studiorum exercitationem praetermittunt.”

II. Quodsi magna sit Theologiae necessitas pro iis qui sacris ministeriis operam navant, non minor est scientiae istius *praestantia*. Princeps Theologorum, D. Thomas Aquinas, *in Sum. Theol.* p. I. q. I. de natura et qualitate sacrae doctrinae more suo acute disserens, inter alia Art. VI. in laudem illius ita scribit: „haec doctrina maxime sapientia est inter omnes sapientias humanas, non quidem in aliquo genere tantum, sed simpliciter. Cum enim sapientis sit ordinare et judicare, iudicium autem per

altio rem causam de inferioribus habeatur ; ille sapiens dicitur in unoquoque genere qui considerat causam altissimam illius generis ; sicut in genere aedificii artifex qui disponit formam domûs , dicitur sapiens et architecton respectu inferiorum artificum qui dolant lapides vel parant caementum. . . . Ille igitur , qui considerat simpliciter altissimam causam totius universi quae Deus est , maxime sapiens dicitur. . . . Sacra autem doctrina (sive Theologia) propriissime determinat de Deo secundum quod est altissima causa ; quia non solùm quantum ad illud quod est per creaturas cognoscibile , quod Philosophi cognoverunt , ut dicitur ad Rom. I. 19. *quod notum est Dei , manifestum est in illis* ; sed etiam quantum ad id quod notum est sibi soli de seipso , et aliis per revelationem communicatum. Unde sacra doctrina maxime dicitur sapientia.” Itaque quod idem Doctor angelicus alibi in *Summa Philos.* L. I. cap. II. de studio sapientiae universim proclamat ac docet , ipsimet S. Theologiae praeprimis applicandum est , ejusdemque praestantiam mirifice commendat. „Inter omnia studia hominum (sic dicitur ibid.) sapientiae studium est perfectius , sublimius et utilius et jucundius. Perfectius quidem , quia , in quantum homo sapientiae studio dat se , in tantum verae beatitudinis jam aliquam partem habet. Unde Sapiens dicit : *Beatus vir qui in sapientia morabitur* (Eccli. XIV. 22.). Sublimius autem est , quia per ipsum homo ad divinam similitudinem praecipue accedit , qui omnia in sapientia fecit. . . . Utilius autem est , quia per ipsam sapientiam ad immortalitatis regnum pervenitur ; *concupiscentia autem sapientiae deducit ad regnum perpetuum* (Sap. VI. 21.). Jucundius autem est , quia *non habet*

*amaritudinem conversatio illius, nec taedium convictus illius, sed laetitiam et gaudium* (Sap. VIII. 16.).

III. At vero, si sacra doctrina seu Theologia, inter omnes sapientias humanas primum locum tenens, ex capite illo ceteris scientiis generatim praeferenda sit, cum eodem Doctore mox laudato (*Sum. Theol.* p. I. q. I. Art. V.) tria assignari possunt, in quibus S. Theologia reliquis scientiis nominatim antecellat seu praestet. Primo quidem in ratione *certitudinis*: „aliae scientiae certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanae, quae potest errare”; Theologia autem a vera revelatione convenienter revelationis principiis deducta, adeoque Dei auctoritati tanquam principio aut motivo ultimo innixa, „certitudinem habet ex lumine divinae scientiae, quae decipi non potest.” Secundò in ratione *objecti*, seu materiae *de qua* agitur: „aliae scientiae considerant ea tantùm quae rationi subduntur”; Theologia vero „scientia est principaliter de his quae sua altitudine rationem transcendunt.” Tertio in ratione *finis*: „scientiarum illa dignior est quae ad ulteriorem (altiores) finem ordinatur... Finis autem hujus doctrinae (theologicae), in quantum est practica, est beatitudo aeterna, ad quam sicut ad ultimum finem ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum. Unde manifestum est, eam (etiam hoc modo) digniorem esse aliis.”

---

## Caput III.

## De variis Theologiae divisionibus.

- I. Quot et quae Theologiae divisiones prae caeteris attendendae sint?
- II. Quid in divisiones istas generatim animadverti possit et debeat?
- III. Quaeenam speciatim, quantum ad Theologiam moralem, item Scholasticam, sub respectu historico ac theologico advertenda sint?

---

I. Missas hinc facimus eas divisiones, quibus Theologia, latiori sensu accepta, dispertitur in naturalem et supernaturalem, in generalem et specialem, in catholicam et acatholicam, etc. Praetermittimus etiam illam, quae Theologia adinstar aliarum scientiarum distinguitur in objectivam et subjectivam, prout n. p. in semetipsa vel in mente cognoscentis consideratur. Sermo nobis est de iis divisionibus, quae Theologiae, in sensu proprio et consueto intellectae, propriae sunt. Jam vero S. Theologia sic considerata pro triplici, quo lustrari potest, aspectu tripliciter dividi consuevit.

1<sup>o</sup> Ex parte *objecti*, seu doctrinae in eam traditae, vulgo distinguitur in *dogmaticam* et *moralem*, prout nimirum vel regulas credendi vel praecepta morum primarie continet. Divisionem hanc, fundatam in naturam religionis revelatae,

utpote quae aliud non est nisi complexio veritatum quas credere, et officiorum quae adimplere tenemur ut aliquando vitam aeternam assequamur, jam pridem indicavit D. Augustinus *de doctr. Christ.* L. II. cap. IX. ubi ait: „in iis quae aperte in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia quae continent fidem moresque vivendi.”

Porro, cum fidei dogmata variis modis considerari et pertractari possint, ipsamet Theologia *dogmatica* in varias species subdistingui potest ac solet. Nimirum a) In *dogmaticam proprie dictam*, cui hoc propositum est, religionis dogmata explanare et comprobare argumentis sibi propriis, ex Scripturâ et traditione divina ceterisque fontibus strictè theologicis depromptis. b) In *speculativam*, ut vulgo dicitur, quae scilicet pleniorum dogmatum intelligentiam persequens, eorum naturam et causas, veritatem et congruentiam, relationem et nexum, argumentis analogicis a ratione petitis illustrare ac confirmare adnititur: aliis verbis, quae, ut prior species, non sistit in exponendo, *quid* dogmatis sit, sed rationis ope indagare studet, *quare* et *quomodo* ita sit. cfr. Van Loo *Introd. in Theol. dogm.* p. 154. c) In *apologeticam*, quae in aciem descendens, eò potissimùm tendit, ut fidei dogmata contra Incredulorum insultationes tueatur ac vindicet. d) In *polemicam*, quae, ut fidei dogmata ab adversariorum telis defendat (quod ipsi cum apologetica commune est), eorum insuper opiniones et commenta, objectiones et difficultates, convellere ac destruere satagit. e) In *irenicam* seu *henoticam*, quae fidei pacem et unitatem (prout termini ipsi denotant) sibi ut scopum praefigens, omnem operam in eo collocat, ut fidei controversiae componantur, fideique unitas inter dissidentes

restituatur. Nihil sane est hoc S. Theologiae fine laudabilius, nihil quod Theologum Catholicum magis deceat, „dummodo, ut bene monet Liebermann *Prob. in univ. Theol.* cap. I. § IV, a doctrina Christi nullo modo declinet, nec, dum errantes reducere cogitat, seipsum sinat erroribus aliorum implicari.” Haec igitur Theologiae species polemicam non excludit, sed libenter sibi sociat juxta vulgare dictum: *si vis pacem, para bellum.*

Altera Theologiae pars, *moralis* passim nuncupata, pro diversa muneris sui, quod est hominum mores ad regulas fidei informare, executione, pari modo in plures species subdistingui consuevit. Videlibet a) In *moralem proprie dictam*, cujus est hominum mores, seu actus humanos eorumque moralitatem explanare, ipsasque fidei regulas, quarum ad normam iidem informandi sunt, proponere et explicare. b) In *casuisticam*, cui illud in proposito est, regulas fidei seu praecepta morum ad casus particulares applicare. c) In *asceticam*, quae media tradit et docet, quibus morum sanctitudo comparetur. d) In *mysticam*, cujus est animam per viam perfectionis ducere usque ad unionem perfectae charitatis cum Deo. e) In *pastoralem*, quae prae caeteris occupatur explanatione officiorum seu munerum, quae pastorum in regimine animarum sunt propria. f) In *paraceticam*, quae media modumque docet, quo miseris et afflictis succurrendum sit.

*Nota.* Cum praefata Theologiae divisione in dogmaticam et moralem aliud disciplinae genus; nimirum *Jus canonicum*, intime connectitur. Fidei quippe morumque pertractatio tum ad Theologiam tum ad Jus canonicum pertinet, quemadmodum ipsa utriusque scientiae definitio nos edocet. Verum aliter in Theologia, aliter in Jure canonico res ista spectatur. Equidem quod ad *fidem* attinet, Theologia dogmatica de rebus fidei sub respectu

theoretico principaliter disserit, ut *credendi* regulam figat aut statuatur, atque ideo in dogmatum expositione, demonstratione, defensione et evolutione primarie occupatur; ostendendo scilicet, quid dogmatis seu fidei sit aut certe puritatis illius causâ teneri debeat; quid eidem directe aut indirecte adversetur; quas conclusiones theologicas ex dogmate eruere liceat; etc. At vero Jus canonicum, quod passim definitur „complexio canonum seu legum fidem, mores et disciplinam spectantium, quae ab ecclesiastica potestate Christianis vel praescriptae vel propositae sunt”, res fidei sub respectu practico potissimum considerat, ut *agendi* regulam inde hauriat. — Quod autem ad *mores* attinet, Theologia moralis circa *hominum* mores universim versatur, eosque ob *privatum* cujuscumque hominis bonum ad regulas fidei informare cupiens, forum *internum* proxime respicit. Contrâ Jus canonicum *Christianos* quâ membra Ecclesiae spectat, eorumque jura et officia pro majori *communitatis* bono sapientibus legibus moderari volens, forum *externum* maxime intuetur. cfr. Soglia *Inst. can.* p. I. §. 3.

2<sup>o</sup> Ex parte *fontium*, e quibus Theologia, cum dogmatica tum moralis, regulas credendi atque praecepta vivendi depromit, ipsamet Theologia generatim disperditur in *Scripturisticam* et *traditionalem*, prout rerum illarum pertractatio et demonstratio vel ex SS. Litteris vel ex viva et perpetua Ecclesiae doctrina (eo enim modo, latiori sensu, vox *traditio* hîc accipitur) institui aut confici censetur.

Prior divisionis pars, Theologia *Scripturistica*, plures alias scientias aut disciplinas, ut totidem adminicula, sibi conjunctas habet: puta a) *criticam biblicam*, cujus est probare Scripturarum authenticitatem, integritatem, veracitatem, inspirationem, canonem, et alia de quibus in Introductione ad S. Scripturam agi solet. b) *Hermeneuticam sacram*, cui proprium est tradere regulas, ad quas Scripturarum interpretatio fieri debeat. c) *Exegesis*

*biblicam*, cujus munus et officium est regulas istas applicare, seu ipsam Scripturam sacram interpretari juxta regulas illas. — Theologiae Scripturisticae remote etiam subserviunt geographia, chronologia, archaeologia et philologia biblica; et hac quidem ratione hujusmodi scientiae saepenumero ad Theologiam Scripturisticam referuntur.

Posterior divisionis pars, Theologia *traditionalis*, pro mediorum diversitate, quibus viva et perpetua Ecclesiae doctrina dignoscitur, diverse quoque denominari consuevit: scilicet *Symbolica*, *Synodica*, *Patristica*, *Liturgica*, etc. quatenus n.p. doctrina revelata et argumenta ad eam comprobendam desumuntur, vel ex Symbolis aut libris symbolicis ab Ecclesia comprobatis, vel ex publicis Conciliorum definitionibus et decretis, vel ex scriptis SS. Patrum, vel ex libris liturgicis in Ecclesia receptis, etc.

*Nota.* Cum Theologia patristica confundi non debet aliud disciplinae genus, vulgo *Patrologia* appellatum. Haec enim quâ talis Patrum scripta in se considerat, eorumque authenticam, historiam, interpretandi regulas, et alia hujusmodi plura exponit, stabilitque; illa vero scriptis SS. Patrum utitur ad declarandam, probandam et defendendam veram revelationis doctrinam. cfr. Van Loo *Introd. in Theol. dogm.* p. 16.

3<sup>o</sup> Tandem ex parte *formae* seu *methodi*, quâ res credendae et practicandae traduntur aut proponuntur, trita ac pervulgata Theologiae divisio est in *positivam* et *scholasticam*. — Prior, sic dicta, tum quod primas et immotas fidei veritatis ut totidem theses ponit aut statuit, tum quod argumenta, quibus utitur, ut plurimum, juris positivi sunt, in exponenda religionis doctrinâ, non veritatum nexum seu ordinem inter se, sed



potius Scripturae aut revelationis seriem attendit; veritatibus revelatis, praetermissis quaestionibus abstrusioribus, principaliter inhaeret; easdemque veritates stylo diffuso et quasi-oratorio, argumentis stricte Theologicis, explanare, confirmare et vindicare studet. Posterior vero, sic nuncupata, quod jam dudum in scholis praevaluit, veritates revelatas in unum systema, seu in unum doctrinae corpus, disponit atque ordinat; veritatum illarum expositioni non acquiescit, sed subtiliores etiam quaestiones cum ipsis quodammodo connexas indagare adnititur; in earum tandem evolutione et demonstratione stylo conciso et more dialecto incedit, terminos scilicet exponendo, quaestionis statum aperiendo, rei tractandae definitionem et divisionem exhibendo, argumentationem in forma syllogistica proponendo, adversariorum objectiones ac difficultates logice dissolvendo, etc. *Chr. H. Hartke Compendium Theol. dogm. t. I pag. II praefatione.*

II. In tripartitam Theologiae divisionem, de qua mox verba fecimus, illud quidem universim animadverti potest ac debet, eam non sic intelligendam esse, ac si singula specialem disciplinam constituat, aut ipsa S. Theologia in totidem partes inter se diversas distribuat. Enimvero, prout ad I ab initio jam insinuatum est, triplex ista Theologiae divisio aliud non denotat nisi diversum *aspectum* sub quo omnis Theologica pertractatio considerari potest: consequenter et cuius Theologiae pertractationi memoratae divisiones quodammodo applicabiles sunt, in quantum quaevis suum objectum, suos fontes, suam etiam formam habet. — Illud denuo advertendum est, quod et variae species aut partes unius atque ejusdem divisionis, v. g. dogmatica stricte dicta, speculativa, apologetica, polemica, etc. et idem est de

variis Theologiae moralis speciebus, licet qua tales separatim pertractari queant, et quandoque etiam pertractentur, regulariter tamen in quovis tractatu dogmatico aut morali in unum doctrinae corpus plus minus conjungi soleant. Hujusmodi agendi normam, quâ quodammodo unâ simul praestantur, quae alias per partes absolventur, non parum utilitatis ac facilitatis habere, ipsa rei natura demonstrat: sic enim uno aspectu exhibetur quod caeteroquin per partes complendum est.

III. Praeter haec, quae generalia sunt, divisionum illarum respectu duo speciatim adnotari merentur. Primum concernit Theologiam *moralem* seu *practicam*; alterum ad Theologiam *scholasticam* refertur.

a) Sociniani, et qui eos secuti sunt Rationalistae ac Naturalistae, ut religionis mysteria excutiant, viamque sternant ad religionem quamdam communem (een algemeen geloofsverdeeldheid verheven), Theologiam ita practicam esse volunt, ut nihil in ea necessarium sit, nisi quod ad praecepta morum pertinet. Et haec quidem praecepta nonnulli moralistae temporis moderni tam late accipiunt, ut tota, quam praedicant, religio aliud non sit, quam christianismus quidam sentimentalisticus aut philanthropicus, qui nempe, quantum ad Deum, speciem pietatis prae se fert, virtutem autem ejus abnegat; et quantum ad proximum, veram et christianam charitatem cum amore proprio aut hominis dilectione propter ipsum commutat. — Quam falsa et perniciosa sit hujusmodi Theologiae idea, et revelatio divina, et ratio naturalis certatim demonstrant. *Sine fide*, inquit Apostolus de Heb. XI. 6., *impossibile est placere Deo*. Et ipsemet Christus, fidei nostrae auctor et con-

summator, apud Marcum XVI. 16. in terminis proclamat: *qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Quid plura? Fides seu veritas credenda fundamentum et radix est moralitatis christianae. Tolle fidem seu veritates de Deo rebusque divinis credendas, et cunctae hominis christiani obligationes morales una simul corruunt, aut certe majori ex parte subvertuntur. Profecto inter omnia hominis christiani officia illud sane primum locum tenet, ut Christum, Deum et Redemptorem suum, agnoscat debiteque colat. Tolle fidem in Ejus divinitatem — sicuti proh dolor! facere non metuunt universalis hujusmodi christianismi defensores et asseclae — et cultus Ei debitus unà simul convellitur. Et sic in caeteris. Porro sublata aut subversa moralitate christiana, prout ea in revelatione divina docetur, ipsamet ratio humana suis viribus relicta, etsi quà talis, utpote laesa, non tamen extincta per peccatum originale, sufficiat ad hominum mores in multis ad regulas honestatis informandos (plura cap. VIII.), haud dubio in plurimis deviabit, quemadmodum et vetus et nova Philosophiae historia aperte demonstrat: imo, experientia teste, sensim sine sensu dilabatur ad plenam morum independentiam (Morale indépendante) quâ nempe unusquisque actionum suarum suprema regula ac norma constituitur. Procul igitur sit insanum istud quorundam commentum, quasi in Theologia, praeter praecepta morum, nihil aliud necessarium esset. Ejusmodi systema non modo fidei necessitatem in SS. Litteris toties assertam, sed et morum disciplinam sus deque vertit; et nedum viam sternat ad universalem quemdam christianismum, prono alveo ad Indifferentismum ac Nihilismum deducit.

Ad haec, quantum ad Theologiam moralem seu practicam, illud etiam notatu dignum est, quod si modo pro duplici Theologiae objecto duplex Theologiae species, dogmatica et moralis, distingui possit ac debeat, arctissimus tamen sit utriusque nexus; neque ita quidem utriusque fines constitui possint, ut non ea, quae dogmatica audit, varia complectatur quae ad vitae praxin comparata sunt, quemadmodum et ea, quae moralis vocitatur, fidei principia praesupponit, ex quibus agendi regulas scientifice eruit, et comprobatur. Ab eo, quod in qualibet Theologiae parte, prout ea moribus nostris in dogmaticam et moralem distribuitur, praecipuum est, earum denominatio petitur.

b) Quod demum ad Theologiam *Scholasticam* attinet, tria specialiter adnotari merentur: 1<sup>o</sup> Quo tempore, et quibus auctoribus ea invaluerit? 2<sup>o</sup> Qui errores hic evitandi sint? 3<sup>o</sup> Quid ea de re tenendum aut judicandum sit? Ad 1<sup>um</sup> Theologia Scholastica, prout in ratione methodi a positiva discernitur, primùm saec. VIII in Oriente a S. Joanne Damasceno exulta fuit in opere, cui titulus: *Orthodoxae fidei Libri IV*. In Ecclesia vero occidentali saec. XI. et XII. invaluit auctoribus Lanfranco, Anselmo, et Petro Lombardo. Majora autem incrementa cepit saeculis subsequentibus in operibus D. Thomae Aquinatis, S. Bonaventurae, Duns Scoti, aliorumque insignium S. Theologiae magistrorum. Ad 2<sup>um</sup> Duplex error seu scopulus hic cavendus est: eorum nempe, qui Scholasticos nimis extollunt, et qui illos nimis deprimunt. Arbitrantur quidam, methodi scholasticae admiratores, Theologiam positivam, quam olim SS. Patres, ceterique Ecclesiae doctores excoluerunt, haud satis esse, ut perfecta doctrinae Christianae notio habeatur, aut

S. Anselmus, discipulus  
Lanfranci, vixit  
1034-1109.

certe ut ipsa contra adversarios apte defendatur. Sunt et alii, quibus methodus scholastica ita exosa est, ut eam non modo inutilem, temporumque nostrorum necessitati ac scientiarum progressui minime congruam censeant, verùm etiam affirmare non dubitent, Scholasticos suâ agendi ratione religionis dogmata depravasse, multisque quaestionibus prorsus inutilibus, imo et nocivis, oleum et operam perdidisse.

Inter posteriores Theologiae scholasticae obtrectatores primum locum tenet Joan. Wicleff, cujus pp. 29 in Concilio Const. a Martino V. solemniter damnata ita sonat: „Universitates, studia, collegia, graduationes, et magisteria in iisdem sunt vana gentilitate introducta; tantum prosunt Ecclesiae sicut diabolus.” In eandem Theologiae tradendae rationem — ut hostes minus infensos taciti praetereamus — debacchati etiam sunt Lutherus, Erasmus, Jansenistae, Rationalistae, et alii ejusdem farinae homines, quorum interest, ne arma parentur in Israël. — Pro majori discentium utilitate lubet hic adscribere quatuor propositiones, quae rei istius respectu recentiori tempore a Sede Apostolica proscriptae aut propositae sunt.

Prima est pp. 76. Synodi Pistoriensis, a Pio VI in bulla *Auctorem fidei* condemnata: „Insectatio, quâ Synodus scholasticam exagitat, velut eam, quae viam aperuit inveniendis novis et inter se discordantibus systematibus, quoad veritates majoris pretii, ac demum adduxit ad probabilismum et laxismum;

„Quatenus in Scholasticam rejicit privatorum vitia, qui abuti eâ potuerunt aut abusi sunt,

„Falsa, temeraria, in sanctissimos viros et Doctores,

qui magno Catholicae Religionis bono Scholasticam excoluere, injuriosa, favens infestis in eam haereticorum conviciis."

Altera est pp. 79. ejusdem synodi, quae ita habet: „Assertio, quae conviciis et contumeliis insectatur sententias in Scholis Catholicis agitatae, et de quibus Apostolica Sedes nihil adhuc definiendum, aut pronuncian- dum censuit,

„Falsa, temeraria, in Scholas Catholicas injuriosa, debitae Apostolicis Constitutionibus obedientiae derogans."

Tertia est thesis 4<sup>a</sup>, quam S. C. Indicis, approbante S. Pontifice Pio IX, die 15 Junii 1855 edidit: „Methodus, quâ usi sunt D. Thomas, D. Bonaventura et alii post ipsos Scholastici, non ad rationalismum ducit, neque causa fuit, cur apud scholas hodiernas philosophia in naturalismum et pantheismum impingeret. Proinde non licet in crimen doctoribus et magistris illis vertere, quod methodum hanc, praesertim approbante vel saltem facente Ecclesia, usurpaverint."

Quarta est Rationalistarum assertio, in *Syllabo* pp. XIII expresse damnata: „Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt."

Rejectis erroribus, quibus hinc atque hinc, per excessum aut defectum, circa methodum scholasticam peccatur, respondemus ad 3<sup>ium</sup> (quid n<sup>o</sup>. eâ de re tenendum aut judicandum sit): Veritatem in medio quaerendam esse. Enimvero S. Theologia in ratione *modi* seu *methodi*, quâ in scholis tradi consuevit, necessaria non est; ea tamen summopere utilis censetur, tum fidei mysteriis exponendis, tum contrariis novatorum erroribus con-

futandis. Prior pars hujus propositionis vel inde patet, quod S. Theologia, cujus necessitatem, *substantia* tenus, superius cap. II q. I. expendimus, finem sibi praefixum *alio modo* assequi valeat; quemadmodum luculenter ostendunt doctissima Patrum opera, quibus longe antea ortum scholasticae Theologiae rem fidei strenue promoverunt, feliciterque vindicarunt adversus omnes et singulos, qui nullo non tempore erroribus suis ipsam labefactare conati sunt. Posterior vero pars memoratae propositionis confirmari potest ex variis commodis, quae Theologiae scholasticae prae positivâ competunt. Utitur illa, prout dictum fuit, stylo conciso et simplici. Quis porro negaverit, hocce dicendi genere, amputatâ omnium verborum luxuriâ, ipsam veritatem humanae menti pressius imponi et objici? Incedit more dialectico, terminos exponendo, quaestionis statum accurate figendo, definitiones et divisiones praemittendo, etc. Haec vero omnia, et alia id genus plura, magnam disputationi lucem, magnum etiam veritati praesidium conferre nata esse, quis non intelligit? Admiscet tandem Scholastica subtiliores disquisitiones, quaestiones etiam philosophicas solis rationis principiis immixtas: at vero hunc agendi modum, caute ac sobrie adhibitum (quod quidam hac in re longius progressi sunt, hominis, non methodi vitia sunt, quae in ipsam rejici nequeunt), utilitate non caruisse, vel inde liquet, quod istiusmodi disquisitiones ac quaestiones non parum contulerint ad pleniorum revelatorum intelligentiam, atque insuper innocuum quoddam pabulum fuerint, quo, salvo fidei dogmate, indefessum hominum illorum ingenium saturabatur.

Pro coronide hisce adjicimus, quid cl. Bossuet, iudex sane maxime competens, de scholastica Theologia sen-

tiat. „Pour ce qui est de la scolastique et de saint Thomas (ita scribit in tractatu: *Défense de la Tradition et des saints Pères* L. III. ch. XX.), je dirai en deux mots que ce qu'il a à considérer dans les scolastiques et dans saint Thomas est, ou le fond, ou la méthode. Le fond, qui sont les décrets, les dogmes et les maximes constantes de l'Ecole, n'est autre chose que le pur esprit de la tradition et des Pères; la méthode, qui consiste dans cette manière contentieuse et dialectique de traiter les questions, aura son utilité, pourvu qu'on la donne, non comme le but de la science, mais comme un moyen pour y avancer ceux qui commencent: ce qui est aussi le dessein de saint Thomas dès le commencement de sa *Somme*, et ce qui doit être celui de ceux qui suivent sa méthode.... Que le critique se taise donc, et qu'il ne se jette plus sur les matières Théologiques, où jamais il n'entendra que l'écorce.”

#### Caput IV.

##### De principiis, argumentis et regulis Theologiae.

- I. Quid sint *principia* S. Theologiae? indicando varias eorum species aut genera.
- II. Quid *argumentorum* nomine significetur, et quomodo a principiis praesertim differant?
- III. Quid per *regulas* Theologiae intelligatur? 2) Quot



et quae assignari soleant? 3) Quo pacto a principiis et argumentis theologicis potissimum discrepent?

IV. Unde pateat, in S. Theologia, sive scientifica religionis christianae explanatione, Ecclesiae auctoritati ac doctrinae primariae attendendum et inhaerendum esse; et quid inde 2) cum respectu ad principia nec non argumenta ex regulis inanimatis assumpta deducere liceat?

V. Quot et quae sint Ecclesiae munia seu officia circa revelationis depositum ipsi divinitus commissum; et quid ex iis 2) concludi possit ac debeat contra nimiam opinandi libertatem, quam nonnulli sibi permittunt, aut etiam tueri non verentur?

VI. An et quatenus Ecclesia Christi in muneribus istis exercendis infallibilis sit; seu quodnam sit infallibilitatis ecclesiasticae subjectum, item objectum; et qua certitudine singulum constet?

VII. Quid speciatim de infallibilitate Rom. Pontificis fide certum sit? 2) Quaenam pro recta dogmatis istius intelligentia et applicatione animadverti possint? 3) Quid, horum ratione habita, nominatim judicandum sit de *Syllabo*, anno 1864 unà cum Encyclicâ *Quanta cura* evulgato?

---

I. *Principia* Theologiae, prout ea hic accipimus (siquidem terminus *principium*, in sua generalitate denotans omne illud quod continet rationem alterius, multifariam adhiberi solet), sunt totidem veritates, propositiones, aut theses, quas Theologia enucleandas assumit,

et ex quibus tanquam praemissis argumentationum conclusiones suas ratiocinationis ope deducit.

Hujusmodi principia duplicis universim generis aut naturae sunt: nimirum *propria*, seu veritates ex revelationis deposito immediate aut mediate assumptae; et *impropria*, sive veritates aliunde coassumptae, quibus ut totidem adjuventis argumentatio theologica conficitur. Quod veritates *immediate* revelatae constituent propria Theologiae principia, ex natura et definitione scientiae istius manifestum est. Quod veritates *mediate* revelatae, sive ex revelatis jam deductae, sint pariter propria Theologiae principia, etiam ea de re dubium moveri nequit: nam, ut vere ait Herinex *Prolog. in univ. Theol.* n. 22., „sicut conclusio scientifica potest esse praemissa ulterioris conclusionis scientificae, sic non est ratio, cur conclusio theologica, seu propositio ex revelatis deducta, nequeat assumi tanquam praemissa ad inferendam ulteriorem conclusionem theologiam.” Tandem, quod praeter principium e revelatione assumptum (hoc enim semper requiritur, ut conclusio vere ac proprie theologica sit) aliud principium naturaliter notum rite coassumi possit, hac in re praestantissimi Theologi praeclara exempla nobis reliquerunt. Et sane, cum fides aut revelatio naturalem hominis rationem non destruit sed perficit, nihil certe obstare potest, quominus pro majori conclusionis evidentia ejusmodi rationis principium praefato modo in subsidium adsciscatur.

II. *Argumentorum* nomine — quâ de re secundo loco quaeritur — veniunt ea, quibus Theologia adinstar aliarum scientiarum assertiones suas probare aut confirmare solet. Quodsi S. Theologia, quâ scientia a revelatione deducta non sistat in sola revelatorum exhibitione aut

propositione, sed illa, pro uberiori eorum notione, evol-  
vere, suasque conclusiones inde eruere sâtagat, ita quo-  
que pari motivo èt principia assumpta, èt conclusiones  
inde deductas, argumentorum pondere stabilire studet. —  
Patet igitur, argumenta Theologiae a principiis illius in eo  
potissimùm distingui, quod ista (principia) quasi corpus  
et substantiam Theologiae efficiant, illa vero (argumenta)  
totidem fulcimina et ornamenta sint, quibus universa  
scientiae istius structura consurgit, roboratur et decoratur.

III. Demùm per *regulas* Theologiae idem intelligi-  
tur, quod per regulas fidei denotari solet: nimirum cer-  
tae quaedam viae aut indicia, quibus de revelationis con-  
tento seu doctrina, ejusdemque vero sensu indubie con-  
stat. Profecto, si Theologiae et fidei unum et idem sit  
primarium cognitionis *medium*, Dei scilicet revelatio; si  
Theologiae et fidei unum et idem sit primarium assen-  
sûs *motivum*, Dei nempe auctoritas seu veritas in di-  
cendo (confer dicta cap. I. q. IV.); eadem quoque as-  
signari possunt *regulae* quibus èt fidelis in sua fide, èt  
Theologus in sua scientia dirigatur.

2) Hujusmodi regulae sunt numero quinque: videlicet  
Scriptura sacra, Traditio divina, R. Pontifex ex Cath-  
dra loquens, Concilia oecumenica et Ecclesia per or-  
bem dispersa; quae tamen commode ad duas reduci pos-  
sunt, nempe ad regulam inanimatam seu continentem, ?  
quò spectant duae priores, et ad regulam animatam seu  
applicantem, quò pertinent tres posteriores.

3) Regularum discrimen a principiis et argumentis  
theologicis in eo consistit, quod regularum officium sit,  
Theologum non secus ac simplicem fidelem ducere in  
cognitione veritatis revelatae, quid np. revelatum sit, et  
+ *Veritates revelatae non sunt lapideae unitas, sed*  
*unitas seminum. Cps Hunter. Comp. Theol. dogm.*  
*VI p 135 N 155.*

quo sensu intelligi debeat; principiorum vero et argumentorum proprium sit, Theologum quàm talem dirigere in scientifica revelatorum evolutione et comprobatione.

IV. Quamquam regulae inanimatae, Scriptura sacra et Traditio divina, totum revelationis depositum in se contineant, nihilominus ipsi Theologo in scientifica revelatorum explanatione, non secùs ac simplici fidei in fidei catholicae agnitione et professione, Ecclesiae auctoritati aut doctrinae, prout ista per illam sub triplici organo spectatam proponitur, praesertim attendendum atque inhaerendum esse, cuius palam erit, modo haec tria serio perpendantur.

a) Revelationem divinam factum esse, a libera Dei voluntate dependens: consequenter, si quodlibet factum liberum aliorum auctoritate seu testimonio (innitatur ac?) dignoscendum sit, pari modo in casu, de quo agitur, auctoritate seu argumento extrinseco, non ratione seu argumentis intrinsecis, procedendum est.

b) Revelationem divinam esse factum *supernaturale*, utpote quod, saltem in ratione modi, naturae conditionem excedit; atque ideo auctoritate supernaturali hìc opus esse. (???) *ipst heol. fund. Jansen pag 908 propit etc.*

c) Revelationem divinam, ejusque doctrinam ab omnibus, etiam iis, quibus immediate non est facta, fide *divina* credendam esse, utpote quae non ab homine aut angelo inventa fuit, sed Deum ipsum auctorem habet; ideoque et omnibus auctoritate divina proponendam aut communicandam esse. Jam vero istiusmodi medium, quo omnibus et singulis veritates revelatae earumque verus sensus auctoritate divina innotescere debeant, a variis varium assignari consuevit, v. g. Scriptura sacra

*uctoritas Ecclesiae in divina dicitur, quia Ch<sup>o</sup> est instituta. Sed quae dum nuntius revelata sunt, et quae talia ab Ecclesia proponuntur credenda, credi debent non ab auctoritatem Ecclesiae sed ab auctoritatem Dei revelantis.*

*ratio factum revelationis et motiva credibilitatis et cognoscere potest, et, ut sit fides rationalis, cognoscere debet.*

*uctoritas Ecclesiae in divina dicitur, quia Ch<sup>o</sup> est instituta.*

*sed quae dum nuntius revelata sunt, et quae talia ab Ecclesia*

*proponuntur credenda, credi debent non ab auctoritatem Ecclesiae sed ab auctoritatem Dei revelantis.*

in se spectata, vel spiritu privato intellecta, vel unicuique per Spiritum S. exposita, quae sunt totidem hypotheses a Protestantibus excogitatae; at vero medium tale *commune et publicum, omnibus aptum* (utrùm per accidens aliter quandoque in casu particulari contingere possit, hìc non quaeritur; ea de re videri potest Dens *de fide* n. 20 in fine, item Bouvier *de fide* cap. III. Art. 1<sup>o</sup> et 2<sup>o</sup>) aliud non datur, nisi Ecclesiae propositio, hunc in finem a Christo Domino infallibili auctoritate donatae. „Magisterio ecclesiastico, inquit verissime Concilium Prov. Utraj. p. 25, et non singulis individuis, universum revelationis depositum commissum est, cum assistentia Spiritus Sancti et infallibilitatis prerogativa. Ecclesiae igitur esse credimus, judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum.” Eo quoque sensu jam dudum praeclare dixit D. Augustinus, et quivis nostrùm cum eo dicere potest: „ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae catholicae commoveret auctoritas.” cfr. Dens *de fide* n. 20. et latius Perrone *de fide spe et char.* p. I. n. 65—107.

2) Quae cum ita sint, duo inde cum respectu ad principia et argumenta, ex regulis inanimatis assumpta, deducere licet:

1<sup>o</sup> Vivam et perpetuam Ecclesiae doctrinam lydeum lapidem esse, ad quem cuncta principia argumentaque theologica examinanda sunt: aliis verbis, methodum vere catholicam, in omni principiorum argumentorumque delectu et usu a viro Theologo sectandam, eam esse, quâ semper ob oculos habeatur necessaria eorundem convenientia cum viva et perpetua Ecclesiae doctrina. Re enim vera, quid juvat, neglectâ vel posthabitâ Ecclesiae doctrinâ, etiam ex SS. Litteris aut divina Traditione the-

theologicas assumere, easque nec non conclusiones inde deductas, argumentis specie solidissimis confirmare? Quotiescumque ejusmodi theses aut argumentationes ab infallibili Ecclesiae doctrina ablutunt, universa scientiae machina, quanto etiam studio elaborata, similis erit domui super arenam aedificatae, aut caduca et gracili extractae materia. Aliis verbis — ut sine figuris loquamur — quoniam verum vero opponi nequeat, hoc unum tali in casu effectum erit indubieque tenendum, quod vel theses seu principia assumpta in se falsa sint, vel quod eadem a vero suo sensu detorta fuerint, vel quod ipsa argumentatio in ratione formae deficiat. Itaque ne incassum laborare, vel etiam a recto tramite aberrare velimus, in quovis discursu theologico praeprimis videndum est, quid in re, de qua agitur, tradat aut teneat quae sub coelo est catholica Ecclesia. Haec via est, quam secuti sunt, nobisque praemonstrarunt SS. Patres ceterique Ecclesiae Doctores. „Non ad Scripturas, ait Tertullianus *de praescript.* cap. XIX, provocandum est; nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla aut incerta victoria est, aut par incertae.” Et rursus cap. XXI. ita habet: „si Dominus Jesus-Christus Apostolos misit ad praedicandum, alios non esse recipiendos praedicatores, quam Christus instituit; quia nec alius Patrem novit nisi Filius, et cui Filius revelavit, nec aliis videtur (scitur) revelasse Filius quam Apostolis quos misit ad praedicandum, utique quod illis revelavit... Constat proinde omnem doctrinam, quae cum Ecclesiis apostolicis, matricibus et originalibus fidei conspirat, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit: omnem vero doctrinam de mendacio praejudicandam, quae sapiat contra veri-

*Cfr Eusebiius  
de Hist. Eccl. l. VI  
c. XXV.*

tatem ecclesiarum, et Apostolorum, et Christi, et Dei.”

2<sup>o</sup> Cavendum tamen esse ne, dum magisterii ecclesiastici necessitatem sic pro debito tuemur, argumenta theologica, ex SS. Litteris ceterisque fontibus theologicis deprompta, minoris quam par est pendere videamur. Enimvero, licet Dei revelatio cum Ecclesiae propositione (praemissis aut suppositis consuetis credibilitatis motivis) per se sufficiat, ut juxta monitum Apostoli Pauli rationabile obsequium Deo exhibeamus, nihilo secius in qualibet Theologica disquisitione maximi interest, non modo conclusiones a revelatione deductas, sed ipsa etiam principia seu theses theologicas ex ea assumptas, argumentis scripturisticis, ceterisque continuae traditionis documentis illustrare, confirmare ac vindicare. Hujusmodi erudita doctrinae catholicae pertractatio, quâ fides nostra ad scientificam cognitionem evahitur, efficacissimum praebet subsidium, quo ipsimet fideles non parum aedificantur, sectae vero a nobis dissidentes sumopere coaerantur aut comprimuntur. Priores quippe, dum auctoritati Ecclesiae innixi veritatis catholicae inerrantiam atque indefectibilitatem firmâ semper, quamvis simplici, fide crediderunt, miro delectantur modo, quando propriis oculis catholicae doctrinae vestigia, luculentissimaque testimonia in SS. Scripturis, nec non antiquissimis omnium saeculorum monumentis, expressa reperiunt, atque hac ratione non solùm in fide sua confirmantur, verùm etiam Ecclesiae magisterio firmiter ac lubentius adhaerent. Posteriores autem, quidquid sentiant de Ecclesiae auctoritate, ob plurima eaque illustrissima, quae Ecclesia cum suis ipsius tum doctrinae suae reliquit documenta, vel inviti — nisi et fidem historicam abjicere velint — fateri coguntur, eam quam hodie dum Ec-

*Sic dfr  
p 82, A 110*

clesia catholica profitetur doctrinam a primis Christianismi exordiis eodem modo fuisse creditam, adeoque — ut sic loquamur — ipsius Domini Nostri Jesu Christi caractere insignitam esse.

V. Ecclesia Christi, cujus infallibili magisterio (secundum superius dicta) universum revelationis depositum divinitus commissum fuit, cum respectu ad depositum istud quadruplici munere potissimum fungitur: 1<sup>o</sup> *testis et custodis*, revelationem divinam, prout ea in SS. Scripturis aut divina Traditione continetur, integram atque intactam conservando, eaque arcendo quae fidei aut morum puritati directe vel indirecte adversari censentur. 2<sup>o</sup> *Interpretis*, verum Scripturarum et Traditionum divinarum sensum authentice declarando. 3<sup>o</sup> *Judicis*, fidei aut morum controversias, aliaque hujusmodi dubia circa revelationis doctrinam aut sensum exorta, solemniter dirimendo et definiendo. 4<sup>o</sup> *Magistrae*, doctrinam divinitus acceptam vivo et jugi magisterio in terris continuando, eamque qua talem omnibus proponendo.

2) Aberrant igitur multum

a) Rationalistae, moderati vulgo dicti, qui, spreto vel imminuto *custodis* munere, affirmare non dubitant: „disciplinas humanas eam cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tanquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint.” Hujusmodi opinionem, in Conc. Vat. sess. III *de fide et ratione* can. 2<sup>o</sup> anathemate percussam, praefato Ecclesiae muneri directe opponi, aut certe eidem plurimum detrudere, nemo est qui non videat. Sane, ut cum eodem Concilio l. c. cap. IV. loquamur, „Ecclesia, quae unam cum apostolico munere docendi,



mandatum accepit fidei depositum *custodiendi*, jus etiam et officium habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam, et inanem fallaciam. Quapropter omnes christiani fideles hujusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tanquam legitimae scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem prae se ferant, habere tenentur omnino." Vide insuper *Syllabum* pp. X et XI. ubi duo errores hùc spectantes recensentur et condemnantur.

b) Alii ejusdem generis homines, qui alterum Ecclesiae munus, quod est *interpretis*, suo modo intelligentes aut deprimentes, dicere non metuunt: „fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia." Hanc ipsorum assertionem, in Conc. Vat. l. c. can. 3<sup>o</sup> similiter proscriptam, memorato Ecclesiae muneri aperte refragari, dictu vix opus est. „Neque enim (ut denuo verba illius Concilii l. c. cap. IV nostra faciamus) fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum Christi sponsae tradita, fideliter custodienda et *infallibiter declaranda*. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec umquam ab eo sensu, altioris scientiae specie et nomine, recedendum."

c) Omnes illi, qui *Judicis* officium perperam auspicantes, credendi obligationem limitare videntur ad sola dogmata ab Ecclesia solemniter definita. Ejusmodi iudicium, enata haeresi, suborto dubio, aut aliâ simili

de causâ, tantùm ferri solet, adeoque velut quid extraordinarium in Ecclesia habendum est; via autem ordinaria et consueta, quâ veritates revelatae omnibus credendae proponuntur, est vivum ac juge Ecclesiae magisterium. Dicendum igitur est firmiterque tenendum, plures dari veritates revelatas, ab omnibus fide catholica credendas, quin unquam ab Ecclesia judicialiter definitae sint. Cfr. Conc. Prov. Ultraj. p. 27., item Kleutgen *Die Theologie der Vorzeit* T. I p. 47. Unde et S. Pontifex Pius IX expresse damnavit pp. 22. *Syllabi*, quae est tenoris sequentis: „Obligatio, quâ catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coartatur in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae iudicio, veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.” Et alibi in Litteris Apost. ad Archiepisc. Monac. et Frising. 21 Dec. 1863 rem istam magis explicitè pertractans, ita scribit: „etiamsi ageretur de illa subiectione, quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea, quae expressis oecumenicorum Conciliorum, aut Romanorum Pontificum, huiusque Sedis decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendenda, quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tanquam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis Theologis ad fidem pertinere retinentur.” Demùm ipsum quoque Concilium Vatic., rei istius respectu, sess. III. cap. III. in terminis decidit: „Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in Verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemnè iudicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata credenda proponuntur.”

d) Aberrant etiam illi, qui Ecclesiae *magisterium*, sive

solemni iudicio, sive ordinario modo exercitum, arctioribus quàm par est limitibus concludentes, hominis christiani obligationem, quâ Ecclesiae docenti obstringitur, ad sola fidei dogmata seu veritates fide catholica credendas restrictam volunt, plenam in ceteris opinandi libertatem supponentes, aut etiam palam profitentes. Errorem hunc, cui nonnulli etiam Catholici, plus sapientes quam oportet sapere, in Germania et alibi quandoque indulserunt, ipsemet Pius IX in Litteris Apostolicis supra laudatis 21 Dec. 1863 hisce verbis reprobavit: „Sed cum agatur (sic dicitur ibidem post verba superius allegata) de illa subiectione, quâ ex conscientia ii omnes catholici obstringuntur, qui in contemplativas scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiae afferant utilitates, idcirco ejusdem Conventus viri recognoscere debent, sapientibus catholicis haud satis esse, ut praefata Ecclesiae dogmata recipiant ac venerentur, verùm etiam opus esse, ut se subjiciant tum decisionibus, quae ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur, tum iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti Catholicorum consensu retinentur, ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem doctrinae capitibus adversae quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologiam merentur censuram.” Et rursus in celeberrima Encyclica *Quanta cura* 8 Dec. 1864 ita scribit: „Silentio praeterire non possumus eorum audaciam, qui sanam non sustinentes doctrinam contendunt, illis Apostolicae Sedis iudiciis et decretis, quorum objectum ad bonum generale Ecclesiae, ejusdemque jura, ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam

detractari absque peccato et absque ulla catholicae professionis jactura.”

Itaque, licet omnes et solae veritates, quae a Deo revelatae sunt et quae tales ab Ecclesia, sive solemnii iudicio, sive ordinario et universali magisterio, omnibus credendae proponuntur, fide Catholica tenendae sint, abest tamen multum, quominus in ceteris omnibus plena opinandi libertas admitti possit. Quomodo Ecclesiae magisterium ultra fidei dogmata protenditur (prout mox ad VI amplius explicabitur), ita et fidelium obligatio, sive obedientia Ecclesiae docenti debita, latius patet quam fidei obsequium. Cfr Kleutgen l. c. p. 63. Hinc et ipsum Vaticanum Concilium sess. III in fine omnes, quorum interest, eâ de re monitos voluit hisce verbis: „Quoniam vero satis non est, haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt; omnes officii monemus, servandi etiam Constitutiones et Decreta, quibus pravae ejusmodi opiniones, quae isthic diserte non enumerantur, ab hac Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt.”

VI. Superius dicta viam sternunt ad aliam quaestionem cum materia ista intime conjunctam. Nimirum, an et quatenus Ecclesia Christi in praefatis muneribus exercendis infallibilis sit? seu magis determinate: quodnam sit infallibilitatis ecclesiasticae *subjectum*, item *objectum*, et qua certitudine singulum constet? In antecessum notatum sit, hic non agi de infallibilitate *passiva*, seu indefectibilitate Ecclesiae in *credendo* aut *discendo*. Infallibilitatis sic consideratae — sit illud per transennam dictum — *subjectum* est universalis Ecclesia, seu congregatio omnium fidelium christianorum sub obedientia

R. Pontificis veram Christi doctrinam profitentium. *Objectum* vero idem est, quod Ecclesiae *docentis* seu magisterii ecclesiastici, quâ de re in praesenti nobis sermo est.

Itaque quod ad primam quaestionis partem attinet, infallibilitatis ecclesiasticae in *docendo* (quae per oppositionem ad alteram vulgo dicitur infallibilitas *activa*, aut etiam simpliciter infallibilitas, prout distinguitur ab indefectibilitate) *subjectum* generatim constituunt omnes et soli illi, quibus jus et officium divinitus commissum fuit authentice docendi universam Ecclesiam. Speciatim verò, attento nempe *modo*, quo munus istud infallibiliter exerceri possit, tria ejusmodi subjecta seu organa assignari solent: scilicet R. Pontifex ex Cathedra loquens; — Concilia generalia, ejusdem R. Pontificis auctoritate legitime congregata, celebrata et confirmata; — Corpus Pastorum et Doctorum, Episcoporum np. in unione, consensione et subordinatione ad R. Pontificem, in orbe dispersum. Primum, seu Romani Pontificis ex cathedra loquentis infallibilitatem, quam Gallicani dente maligno arrodere praesumpserant, nuper, plaudente Orbe Catholico, Concilium Vaticanum sess. IV. cap. IV. ut dogma revelatum solemniter definivit. Secundum vero et tertium quotquot sunt veri nominis Catholici semper et ubique ut dogma revelatum crediderunt. cfr. *Dens de Eccl.* n. 81 sq.

Quod ad alteram quaestionis partem, *objectum* nempe infallibilitatis ecclesiasticae in docendo, spectat, illud quidem universim consistit in doctrinâ de fide aut moribus ad aedificationem doctrinae christianae pertinentibus. — Verumtamen, quia infallibilitatis ecclesiasticae finis aut ratio est, divinae revelationis depositum undequaque sartum tectum custodire, et ab eo arcere non solùm errores eidem directe oppositos, sed etiam, ut loquitur

Apostolus I. Tim. VI. 20. 21., *profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt*; hinc pro ampliori rei istius notione ulterius quaeri potest: *quousque memorata Ecclesiae infallibilitas, in ratione objecti, sese extendat?* Quaestionem hanc more suo scite dissolvit cl. Franzelin in opere, cui titulus: *Tractatus de div. trad. et script.* p. 111 sq. „Cui a Christo (sic dicitur ibidem) commissum est munus infallibiliter custodiendi depositum et illud tuendi adversus errores ingruentes, ejus auctoritas infallibilis sub promissa assistentia Spiritus Sancti pertinet in primis ad custodiendas, proponendas, explicandas veritates quae stricto sensu ipsum depositum fidei constituunt, nempe ad veritates revelatas, ac proinde ad arcendos errores his directe oppositos seu ad condemnandas haereses. Hoc est revelatum dogma fundamentale fidei catholicae; atque hinc ejus negatio non solum haeresis est, sed etiam radix omnium haeresion. In hoc continetur atque inde immediate consequitur, infallibilitatem promissam ad custodiendum depositum extendi ad totam custodiendi depositi amplitudinem, h. e. ad veritates etiam in se non revelatas, quatenus cum revelatis cohaerent, et ad earum custodiam, propositionem, explicationem, defensionem requiruntur. Haec infallibilitatis extensio omnibus Theologis consentientibus veritas est theologice ita certa, ut ejus negatio error esset gravissimus vel ex plurium sententia etiam haeresis, quamvis hactenus explicite haereseos damnata non sit.” Ex hoc principio aut regula sic delineata, cui praeter alios insignes Theologos a Franzelin allegatos, inter recentiores adstipulantur etiam Perrone *de loco Theol.* p. I. n. 163, Liebermann *Inst. Theol.*

T. II. p. 576. ed. 2<sup>a</sup>, Schwetz *Theol. fund.* § 196 sq., Jansen *Prael. Theol. fund.* § 72. et alii, clarum ac perspicuum est, duplex dari infallibilitatis ecclesiasticae objectum, scilicet *directum*, seu veritates in revelationis deposito contentas — quae quidem res omnium consensu fide certa est; et *indirectum*, seu veritates in se non revelatas, attamen cum revelatis necessario connexas — id quod saltem theologice omnino certum est. Ex eodem principio seu regula, cujus applicatio ad casus particulares, puta ad facta dogmatica, Sanctorum Canonizationem, Ordinum approbationem, disciplinae generalis ordinationem, etc. in tractatu *de Ecclesia* n. 84 sq. fieri consuevit, apparet insuper, objectum istud *indirectum* protendi, sed et limitari ad omnes et solas veritates non revelatas, quatenus cum revelatis cohaerent, et pro earum custodia, propositione, explicatione aut defensione requiruntur; atque adeo longe abesse, quominus Ecclesia, prout per fas et nefas nonnumquam nobis obtruditur, universalem infallibilitatem, etiam in iis quae cum Dei revelatione nullo pacto connectuntur, sibi vindicet.

An necessario con-  
nexae? Cfr  
Palmieri tract de  
Rom. Pontifice  
pag 176.

VII. Hisce de Ecclesiae infallibilitate in genere sic constitutis, non abs re fore arbitramur, etiam ea paucis delibare, quae ipsum R. Pontificem, primum infallibilitatis istius subjectum seu organum, proxime concernunt.

Dogma fidei huc spectans, prout illud in Concilio Vat. sess. IV. cap. IV. solemniter definitum fuit, est tenoris sequentis: „Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi

in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones, ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles esse.”

2) Pro recta dogmatis istius notione et applicatione haec quae sequuntur, salvo meliori, adnotari possunt:

a) Quod superius (p. 50 sq) dictum fuit de *extensione* infallibilitatis ecclesiasticae ad veritates etiam non revelatas, quae cum revelatis cohaerent, et ad earum custodiam, propositionem, explicationem aut defensionem requiruntur, deque *certitudine*, quâ res ista constat, illud ipsum eodem modo tenendum est de infallibilitate R. Pontificis ex Cathedra loquentis. Doctrina ista, jam pridem communiter admissa (cfr. Vermeulen *De Rom. Pontif. infall. jud.* p. 82—112), in ipso Concilii Decreto manifeste adstruitur; definitur quippe: „Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur . . . . ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam . . . . instructam esse voluit.” Praeterea ipsa etiam vox „*tenendam*”, quâ utitur Concilium, explicans verba: „cum ex Cathedra loquitur”, hoc ipsum non obscure denotat; dicendo enim „*tenendam*”, et non *credendam*, aperte satis insinuat, infallibilitatem R. Pontificis, cum ex Cathedra loquitur, non restringi ad solas veritates revelatas, sed et eas complecti quae cum revelatis praedicto modo connectuntur. Plura videsis in ephemeride *Revue des sciences ecclés.* T. 24 p. 433 sq., item in *Litteris past.* quas Episcopi Helvetiae mense Junii 1871 quoad memoratam Conc. Vat. definitionem evulgarunt. (*Revue Cath.* anni 1871 T. II. pag. 587 sq.).

b) Quum Ecclesiae, ideoque et Romani Pontificis cum



ex Cathedra loquitur, infallibile magisterium non limitetur ad solas veritates revelatas, sed ad totam custodiendi depositi amplitudinem extendatur, illud denique cum cl. Franzelin *de div. trad. et script.* p. 112. statui potest: „quod ergo doctrina non definitur tanquam in se revelata, seu quod errores non singillatim damnantur *nota haereseos*; sed vel nullâ determinatâ censurâ vel censuris inferioribus vel in *globo* pluribus censuris proscribuntur: ob has causas per se spectatas sine gravi errore affirmari non potest, definitionem non esse infallibilem aut non esse *locutionem ex Cathedra.*”

c) Ut in casu particulari dijudicetur, utrum Acta aut Decreta Rom. Pontificis locutionem ex Cathedra continent, atque eatenus infallibiliter vera sint, non unice aut principaliter respiciendum est ad *formam* eorum: quamvis enim sint quidam modi magis solemnes, qui ex sese locutionem ex Cathedra denotant et quibus proinde Pontifex nunquam utitur nisi loquendo ex Cathedra, cujusmodi sunt Bullae dogmaticae; nihil tamen in Decreto Vaticani Concilii aut alibi in Jure habetur, quo istiusmodi forma ut quid essenziale praescribitur vel requiritur. Nec etiam unice aut principaliter attendendum est ad *clausulas* in Actis vel Decretis appositas: etsi enim habeantur quaedam clausulae seu dicendi formulae quae, caeteris suppositis, locutionem ex Cathedra regulariter significant, v. g. si propositio aliqua ut *haeretica* damnetur, vel in contradicentes *anathema* feratur, etc.; saepe tamen numero doctrina de fide aut moribus ab universâ Ecclesiâ tenenda, alio modo proponitur, cujus rei exemplum habemus in ipso Concilio Trid. sess. VI. *de Justif.* cap. XVI. in fine, item sess. XIV. *de sacr. extr. Unct.* cap. III in fine. Ejusmodi igitur clausulae signum

*Excommunicationis  
paena in contrarium  
docentes per se non  
est definitio  
argumentum, cum  
Ecclesia possit ob*

*Nota: Dogmata certe Catholica continent decreta concilii  
Tridentini sess. IV, VI, VIII, XIV, XXI-XXIII.  
Ita Hurter Theol. Fund. N 456 pag 434.*

locutionis ex Cathedra esse possunt, requisitum essentielle non sunt. cfr. Soglia *Inst. can.* p. I. §. 10 et 11; item opusculum Card. Dechamps *l'infailibilité et le concile général* p. 135 sq. — Quid igitur? Ut locutio ex Cathedra dignoscatur, primùm et potissimùm videndum est, utrum ea adsint, quae Concilium Vaticanum, explicans verba *ex Cathedra loqui*, specificè assignat: nimirum an R. Pontifex „omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definiat.” Quatuor itaque notae seu conditiones requiruntur sed et satis sunt pro *locutione ex Cathedra*: videlicet ut Rom. Pontifex 1<sup>o</sup> *quà Pastor et Doctor omnium christianorum*, non ut Theologus de materia aliqua disserens, vel ut persona privata ad quaestionem sibi propositam respondens, neque etiam ut Episcopus dioecesis Romanae, vel ut Patriarcha Occidentis aliquid decernens, imo nequidem ut supremus Ecclesiae legislator aliquid mere praecipiens aut prohibens, etc. „Ce n'est que dans l'exercice de sa charge de *pasteur et docteur de tous les chrétiens*, que le Concile lui reconnaît la prérogative, conférée par Dieu, de l'infailibilité” inquit Mgr. Fessler in opusc. *La vraie et la fausse infailibilité* p. 62; 2<sup>o</sup> *pro suprema sua Apostolica auctoritate*, qua nempe ut successor B. Petri, et Vicarius Christi in terris, vi primatûs quem in universum tenet Orbem, divinitûs instructus est; 3<sup>o</sup> *doctrinam de fide vel moribus*, quae nimirum in divina revelatione continetur, aut saltem eum ea, pro ejusdem custodia, propositione, explicatione aut defensione, necessario connectitur, — confer dicta q. VI de objecto infailibilitatis, item Melch. Canum *de loc. Theol.* L. V cap. V. q. 4<sup>a</sup>, nec non opus-

culum Card. Manning *Hist. du concile du Vatican* ed. gall. par Chantrel p. 117; 4<sup>o</sup> *ab universa ecclesia tenendam definit*, sententiâ np. definitivâ (in ultima instantia, ut vulgo dicitur,) decernens simul et praeci- piens, quid ab omnibus Christi fidelibus in praefata materia ut dogma revelatum, aut certe ut quid cum eo connexum, puritatis illius causâ, *teneri* debeat; et vicis- sim (haec enim correlativa sunt) quid in rebus istis ut haeticum seu fidei catholicae directe oppositum, aut sal- tem ut haeresi proximum, erroneum, schismaticum, te- merarium, scandalosum, male sonans, etc. (pro diver- sitate notae appositae), aut etiam, ubi plures proposi- tiones in globo damnantur, ut quid horum, *vitari* debeat.

d) Dari possunt, imo et dantur nonnulla RR. Pontifi- cum Acta et Decreta, quibus id unum propositum est, canonem aut legem mere disciplinarem condere, vel etiam circa doctrinam de fide aut moribus aliqua monere, sua- dere, reprehendere, aut prohibere, v. g. propagationem alicujus opinionis, quin tamen intendant *definitivam* sen- tentiam ferre, quâ tota Ecclesia astringatur. Hujusmodi Acta aut Decreta eo ipso locutionem ex Cathedra non constituunt. — Pari modo in ipsis etiam Actis et Decre- tis RR. Pontificum, quibus certissime propositum est, doctrinam, de fide vel moribus ab universa Ecclesia te- nendam *definire* (et idem est de ejusmodi Conciliorum generalium Decretis), possunt ac solent plura contineri, quorum *definitio* non intenditur; ut sunt obiter vel in- cidenter dicta, plerumque etiam argumenta allata in con- firmationem ipsius definitivae sententiae. Haec et alia id genus plura, licet gravem auctoritatem habeant, quâ ta- lia tamen locutio ex Cathedra non sunt, ideoque et de- finitionem infallibilem non efficiunt. cfr. Melchior Canus

*de loc. Theol.* L. VI. cap. VIII ad 7<sup>um</sup>; item Franzelin in opere superius laudato p. 109.

e) De quibusdam RR. Pontificum Decretis aut Actis quandoque dubium moveri posse, utrum locutionem ex Cathedra, an contrà meram et simplicem doctrinae aliqujus affirmationem aut negationem contineant, id certe negari non potest. Verùm hoc idem aliquando accidit circa Conciliorum Decreta et Acta. Si quando hujusmodi dubia incidunt, in hac re dijudicanda inservire possunt, tum regulæ seu criteria, quibus canones dogmatici a ceteris discernuntur (cfr. Soglia p. I § 10.), tum et præcipue quatuor notæ superius expositæ, quæ locutionis ex Cathedra sunt propriæ. Multum etiam tali in casu valere virorum sapientum iudicium, præsertim vèro Ecclesiæ sensum et consensum, monet cl. Franzelin in op. cit. p. 110.

3) Aliam quaestionem cum iis, quæ mox dicta sunt, intime connexam heic adjicere libet: quid nempe, illorum ratione habita, nominatim iudicandum sit de notissimo *Syllabo*, qui 8 Dec. 1864 unâ cum Encyclica *Quanta cura*, de mandato S. Pontificis, per Card. Antonelli ad omnes orbis catholici Episcopos missus fuit? In primis notatu dignum est, in Documento isto, quod complectitur, prout in ejus inscriptione edicitur, „præcipuos nostræ ætatis errores qui notantur in allocutionibus consistorialibus, in encyclicis, aliisque apostolicis litteris sanctissimi domini nostri Pii Papæ IX”, non agi de erroribus qui ibidem singillatim damnantur ceu *hæretici*, sed de erroribus, qui alibi in documentis publicis SS. D. N. Pii PP. IX „notantur”, i. e. aliqua nota aut censura theologica afficiuntur et proscribuntur: ideoque in casu dato applicandum esse, quod superius

pag. 52. 53. de extensione infallibilitatis Pontificiae ad hujusmodi objecta, deque certitudine qua res ista constat, observatum fuit. Hocce praelibato, quaestio eò reducitur: num quid aliud obstat aut deficiat, quominus memoratum Documentum, quò tale, veluti locutio ex Cathedra haberi queat? Videri id posset primo aspectu, et, ut verum fatear, non desunt Theologi, qui impraesentiarum ea de re dubium movent, cfr. Fessler *La vraie et la fausse infallibilité des Papes* p. 132—135, quoniam secundum Tituli ejusdem tenorem contineat errores *alibi* notatos, atque adeo ipsemet Pontifex in eo nihil *definire*, sed duntaxat referre censeatur, quid in aliis documentis de erroribus in Syllabo recensitis edixerit. Verumtamen, hisce non obstantibus, ipsum *Syllabum* continere veram ac formalem doctrinae ab universâ Ecclesiâ tenendae definitionem, ideoque quò talem ut *locutionem ex Cathedra* considerandum esse, id ipsum *verisimilius* nobis videtur. Profecto — ut alia argumenta missa faciamus — ipsamet Syllabi historia, in literis adjunctis Card. Antonelli exposita, luculenter demonstrat, ipsum *Syllabum* separari non posse ab Encyclica *Quanta cura*, sed cum ea unum actum Pontificium constituere, quemadmodum ipse etiam S. Pontifex die 16 Junii 1867 effatus est in Responso ad congratulationes Cardinalium et Episcoporum Romae praesentium. Verba illius, apud Kersten *Journ. hist.* T. 34. p. 143 gallice relata, haec sunt: „J'ai déjà élevé la voix en publiant une Encyclique qui contient une série de propositions condamnées, que l'on connaît sous le nom de *Syllabus*. Je confirme entièrement cette Encyclique et je la renouvelle en cette solennelle circonstance.” Consequenter et *Syllabo* haud improbabiler applicandum est.

quod in ipsa Encyclica expresse edicatur: „Omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce Litteris commemoratas Auctoritate Nostra Apostolica reprobamus, proscribimus atque damnamus, easque ab omnibus catholicae Ecclesiae filiis, veluti reprobatas, prosriptas atque damnatas omnino haberi volumus et mandamus.” Sin minus, illud saltem certum indubitatumque videtur, errores in *Syllabo* relatos, atque alibi in Documentis citatis jam notatos, unà cum iis qui in Encyclica designantur, a Summo Pontifice, pro suprema sua Apostolica auctoritate, de novo prosriptos ac condemnatos esse, obligatione etiam omnibus Christi fidelibus impositâ eosdem ut tales omnino habendi; adeoque ex capite illo nihil deesse quominus et *Syllabus* quâ talis ut vera locutio ex Cathedra habeatur. — Plura hùc spectantia videri possunt in Scripto periodico *Revue des sciences ecclésiastiques* T. 24. p. 323—325; item Vermeulen *De Rom. Pont. infall. jud.* p. 128 sq.



## Caput V.

### De fontibus seu locis theologicis.

- I. Quid sint fontes seu loci theologici, et qua ratione aut modo iidem a regulis theologicis discrepent?
- II. Quot et qui fontes seu loci theologici assignari soleant, et quomodo iidem distingui aut dividi possint?
- III. Quid generatim advertendum sit, ut vis argumen-

- torum, quae ex locis illis assumuntur, probe intelligatur?
- IV. Quanti nominatim valeant argumenta, ex fontibus seu locis *primariis*, cùm continentibus tùm applicantibus, deprompta?
- V. Quid pariter valeat SS. Patrum, nec non Theologorum et Canonistarum auctoritas? indicando 2) alia media, quibus Ecclesiae dispersae doctrina, sensus et praxis comprobari solet.
- VI. Quid tandem de fontibus seu locis *subsidiariis* S. Theologiae speciatim animadverti possit ac debeat?

I. Fontes seu loci theologici sunt totidem promptuariorum aut rivulorum, ex quibus Theologia argumenta haurit ad probandum ac vindicandum veritates ex divina revelatione assumptas vel deductas. — Ex hac descriptione prima fronte apparet, fontes seu locos theologicos latioris extensionis esse quam regulas Theologiae. Quandoquidem praeter regulas superiori capite q. III. indicatas habentur plures argumentorum sedes, ex quibus Theologia suas assertiones (theses nempe et conclusiones) confirmare et tueri consuevit. Jam vero ea omnia, cujuscumque generis aut naturae illa fuerint, in quantum Theologo argumenta suppeditant ad praefatum finem assequendum, fontium seu locorum theologicorum nomine hìc comprehendimus.

II. Fontes seu loci Theologici, sic considerati, sunt numero plurimi. Prae ceteris vero cum Melch. Cano (*de loc. Theol.* L. I. cap. ult.), quem sequitur Dens n. 2<sup>o</sup>

*de Deo*, decem assignari possunt: 1<sup>o</sup> Scriptura sacra, seu Verbum Dei scriptum, quod np. in sacris et canonicis libris continetur. 2<sup>o</sup> Traditio divina, seu Verbum Dei non scriptum prout istud a praecedente distinguitur. 3<sup>o</sup> Auctoritas RR. Pontificum. 4<sup>o</sup> Auctoritas conciliorum, praesertim generalium. 5<sup>o</sup> Ecclesiae dispersae doctrina, sensus et praxis. 6<sup>o</sup> Auctoritas Sanctorum Patrum aliorumque veterum Ecclesiae Scriptorum. 7<sup>o</sup> Auctoritas Scholasticorum, ac posteriorum rei theologicae tractatorum. 8<sup>o</sup> Ratio naturalis cum variis ejusdem cognoscendi mediis aut criteriis. 9<sup>o</sup> Auctoritas Philosophorum, et juris civilis peritorum. 10<sup>o</sup> Testimonium historiae, etiam profanae, ab auctoribus fide dignis conscriptae aut traditae.

Fontes aut loci, superius recensiti, universim distinguuntur in *stricte* theologicos seu proprie dictos, quò pertinent septem priores, et in *late* seu improprie sumptos, quales sunt tres posteriores, utpote qui in expositione S. Theologiae ministerialiter tantum subserviunt, et idcirco fontes *subsidiarii* passim nuncupantur. — Priores, seu loci theologici *stricte* dicti, rursùm distingui possunt in *primarios*, quorum nomine veniunt quinque priores, et *secundarios*, qui sunt duo subsequentes. Sicut enim quinque habentur fidei ac Theologiae regulae, quarum duae depositum revelationis in se continent, et tres reliquae illud ipsum <sup>†</sup> auctoritate divina proponunt et applicant; ita et quinque priores loci theologici, regulis istis correspondentes, jure meritoque *primarii* seu principales vocitantur; ceteri vero (sextus np. et septimus locus) spectandi sunt ut *totidem media*, quibus Ecclesiae dispersae doctrina, sensus et praxis mere comprobatur seu innotescit, atque ideo, per oppositionem ad quinque alios, fontes secundarii jure optimo appellantur. (?)

†  
Vide notam in margine  
pag. 40

Cfr. H. Hurter *Theol. cla. q.* t. I p. 120. Item p. 112 et  
Vide p. 121 in nota 2<sup>da</sup>, quantum meritis, auctoritas  
SS. Patrum et auctoritas Scholasticorum aequi  
parentes.



III. Quamquam pro locorum theologicorum diversitate plura dentur argumentorum genera, quibus Theologia in probatione et tuitione suarum assertionum uti consuevit, abest tamen multum, quominus omnia ejusdem firmitatis aut valoris sint. Itaque ut facilius determinetur, quid roboris singulis insit, duas regulas generales, superius cap. IV. q. IV. jam insinuat, in antecessum commemorare juvabit.

Reg. 1<sup>a</sup>. Argumenta ex locis theologicis deprompta, etiam ea quae ex SS. Litteris aut divina Traditione assumuntur, infallibiliter certa tantum sunt, in quantum ostendunt, 1<sup>o</sup> veritatem probandam aut vindicandam in revelationis deposito contineri, aut saltem cum ea necessario cohaerere (confer dicta de objecto infallibilitatis ecclesiasticae cap. IV. q. VI.), 2<sup>o</sup> et quâ talem infallibili Ecclesiae auctoritate omnibus Christi fidelibus tenendam proponi. Ubi deest primum, ejusmodi veritas nequidem per Ecclesiam infallibili modo proponi potest; ubi vero alterum deficit, de veritate etiam revelata ejusque vero sensu, saltem regulariter, cum plena certitudine non constabit. Quia vero Christus Dominus Ecclesiae suae promisit assistentiam Spiritus S. qui eam doceat ducatque in omnem veritatem, secundum supponi nequit, quin primum reperiatur: ex quo denique sequitur, in quavis argumentatione theologica primarie advertendum esse, quid in re de quâ agitur, doceat aut teneat viva et perpetua Ecclesiae doctrina.

Reg. 2<sup>a</sup> Argumenta theologica, etiam ea quae ex fontibus secundariis aut mere subsidiariis rite assumuntur, utilia sane sunt ad suadendas veritates theologicas, jure quoque meritoque afferri possunt ad comprobandas ejusmodi veritates; attamen, extra casum regulâ 1<sup>a</sup> delinea-

tum, pro rerum diversitate magis aut minus probabilia tantum sunt, aut certe intra limites humanae certitudinis consistunt. Cfr. Suarez *de Fide* disp. V. sect. II. n° 5.

Hisce de valore argumentorum theologicorum in genere adnotatis, quid singula valeant, paulo latius aperiendum est. Sit igitur

IV. *Scriptura sacra*, inter fontes Theologiae primarios primum locum tenens, dupliciter spectari potest:

1° Ut liber *mere humanus*, ab auctoribus fide dignis exaratus. Et sic quidem nonnunquam sumi solet, ubi agitur de veritatis revelatae tuitione adversus eos, qui divinam Scripturarum inspirationem audenter abnegantes, clarissimas fidei veritates, in iis iterato dilucideque exhibitas, non verentur ad suos sensus detorquere, aut etiam ad mythos et fabulas relegare. — Scriptura sacra sic considerata, non secùs ac alia historiae documenta fide digna, argumentum praebet *humana* auctoritate certum. Qua vero ratione aut modo ex SS. Litteris sic acceptis fidei veritates contra Rationalistas, Naturalistas, et alios hujuscemodi Incredulos propugnari ac defendi possint, infra cap. VII q. IV. uberius explicabitur.

2° Prout revera est, ut liber *divinitus inspiratus*, Deum ipsum auctorem habens (Cfr. Conc. Vat. sess. III. cap. II). De auctoritate Scripturae sacrae, sic acceptae, illud in primis cum S. Paulo II Tim. III. 16. 17. animadverti potest: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* — Quod vero spectat vim argumentorum, quae ex S. Scriptura, ut libro divinitus inspirato, petuntur, haec quà talia, utpote *divinae*

auctoritati innixa, in sensu cùm litterali tùm mystico *infallibiliter* certa sunt, dummodo in ratione scriptionis et assertionis divina sint, et de eo quo accipiuntur sensu plane constet. Dicitur 1<sup>o</sup> *in ratione scriptionis et assertionis divina sint*: notum quippe est, in SS. Litteris nonnulla contineri, quae ut aliorum dicta Sacri Scriptores mere referunt. Haec sane quà talia plus ponderis non habent, quàm meretur loquentium auctoritas, nisi forte ipsamet Scriptura ejusmodi dicta specificè laudet, approbet, aut aliàs quodammodo sua faciat. (Hac de re plura videri possunt in *Responsis* anni 1874 p. 551 sq.). Dicitur 2<sup>o</sup> *atque de eo quo accipiuntur sensu plane constet*: enimvero, licet ex sensu etiam mystico, quem scil. verba Scripturae S. ex intentione Spiritus Sancti *mediate* significant, argumentum infallibile hauriri possit, hoc tamen verum non est, nisi aliunde, sive per alium Scripturae locum, sive per Ecclesiae doctrinam, etc. de sensu illo indubie constet. „Observandum est, ait cl. Lamy *Introd. in S. Script.* p. VII. n. 29. loca illa, quibus inest sensus mysticus, nullam habere talem probandi vim, nisi ubi constat de eorum sensu typico. Sic verba: *Ego ero ei in Patrem et ipse erit mihi in Filium*, prout referuntur in II Reg. VII. 14. nullam haberent vim ad probandam Christi filiationem, nisi ex Epistola ad Hebr. I. 5. constaret, haec verba typice prolata fuisse de Christo.” Eo quoque sensu D. Thomas, in *Sum. Theol.* p. I q. I. Art. X. vere scribit: „ex quo (sensu litterali) solo potest trahi argumentum, non ex iis quae secundum allegoriam dicuntur... Non tamen ex hoc aliquid deperit Sacrae Scripturae, quia nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod Scriptura per litteralem sensum alicubi manifeste non tradat.”— Deni-

que, quod ad sensum etiam litteralem S. Scripturae attinet, apprime prae oculis habendum est id, quod *de usu sacrorum librorum* jam pridem decrevit Conc. Trid. sess. IV., atque nuper Concilium Vatic. sess. III. cap. II uberius declaravit. „Nos, sic dicitur posteriori loco, idem decretum (Trid.) renovantes hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sacrarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari.” Quisquis igitur in argumentatione Scripturistica tutò incedere velit, regulae praefatae indeclinata inhaereat oportet. Illudque insuper advertat — quemadmodum cap. IV. q. IV jam dictum fuit — Ecclesiae propositionem medium ordinarium esse, quo de vero Scripturarum sensu cum plena certitudine constare queat; adeoque argumentationem, ex sensu etiam litterali sacrarum Scripturarum deductam, infallibiliter veram non esse, nisi cum ipsa Ecclesiae doctrina concordet; ex quo denuò sequitur — prout l. c. insimul notatum fuit — nusquam in veritatis revelatae probatione aut tuitione ad solas Scripturas provocandum esse. Et hac quidem de causa in cursu theologico, ubi sermo est de veritate aliqua probanda aut vindicanda, argumentis Scripturasticis sisti non solet, sed continuo recurri ad alia traditionis monumenta, quibus viva et perpetua Ecclesiae doctrina comprobatur.

Quoad *Traditionem divinam*, inter fontes primarios secundo loco assignatam, illud primò advertendum est,

hîc non agi de traditione latiori sensu accepta pro universa Christi doctrina, prout ea in tota sua amplitudine vivo et continuo Ecclesiae magisterio fuit conservata ac tradita, sed illam in sensu restricto et specifico sumi pro altera partiali fidei nostrae regula, continente ea quae a Christo Domino ejusque Apostolis, quâ Evangelii *praeconibus*, fuere tradita, non tamen in SS. Litteris consignata sunt.

Traditio *divina* sic accepta, ob rationem mox indicatam quandoque etiam *Apostolica* nominata (quae tamen confundi non debet cum alia ejusdem nominis, quam n.p. Apostoli, quâ Ecclesiae *Pastores*, reliquerunt), juxta Concilii Trid. effatum sess. IV. cap. I. cum ipsa Scriptura sacra „pari pietatis affectu ac reverentia” suscipienda et veneranda est. Nec mirum. Utraque, èt Scriptura sacra, èt Traditio divina, Deum auctorem habet; utraque Dei Verbum est, sola transmittendi ratione diversa. Consequenter et argumenta ex hoc fonte deprompta ejusdem auctoritatis et roboris sunt, ac illa quae ex SS. Libris petuntur: nimirum infallibiliter certa sunt, modò constet, eadem vere divina esse, et eo quo accipiuntur sensu intelligenda esse. Verùm si Ecclesiae propositio aut doctrina, secundùm superius dicta, medium ordinarium est, quo de Scripturarum divinitate et vero earum sensu cum plena certitudine constet, idem cum respectu ad Traditionem divinam statuendum est. „Organum conservationis traditionum, et in his etiam canonis Scripturarum ipsarum, inquit merito Franzelin *de div. Trad. et Script.* p. 10, est perpetua successio apostolica in Ecclesia catholica. Veri sensus Scripturarum et (ex paritate rationis) Traditionum, obortis dubiis vel controversiis, *authentica interpret* est ipsa Ecclesia, quae

*Traditio considerari potest; a) active; b) objective; c) complete.*

*Active spectata est actuum series, quae doctrina aut veritas aliqua ad alios traducta*

*Objective spectata est id quod traditur, praecisione facta a modo, quo traditur.*

*Complete spectata est ipsum objectum cum modo traditionis velut materia cum sua forma. Ita Hardt. t. I pag 90.*

sive antecedente sive praesente consensu aut iudicio Scripturas et Traditiones explicandas proponit explicatas." Imo cum Dens *de Fide* n. 66. addere licet, „quod circa Scripturam S. propositio Ecclesiae sit nobis magis manifesta, ex quo librorum canonicorum catalogum fixit, et editionem Vulgatae, ut authenticam approbavit: traditionum autem divinarum catalogum non texuit Ecclesia, sed pro occasione nunc hanc, nunc illam proponit."

Ut tamen in casu particulari dignoscatur, aut certe facilius determinetur, utrum aliquid, quod in Ecclesia invenitur traditum, veluti traditio *divina* (non mere apostolica aut ecclesiastica) haberi possit ac debeat, et quã talis ab Ecclesia revera habeatur ac proponatur, inseruire possunt regulæ, quæ hunc in finem a probatis auctoribus statui solent. Regulæ istæ, quas Dens n. 68 *de Fide*, disserens de regulis traditionum in genere, partim assignat, cum Card. Soglia *Inst. Can.* p. I. §. 20. ad quatuor reduci valent.

I. „Traditio divina est, si ejus materia ad fidem pertineat, quia fides solum Deum auctorem habet."

II. „Pariter traditio divina est, si sit earum rerum, quæ humanam potestatem superant, qualis ex. gr. est materia et forma Sacramentorum, quia Sacramenta a solo Deo institui potuerunt."

III. „Sic etiam traditio divina est, si quod præcipit, aut statuit, id consentientes inter se Patres tanquam ore tenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatum, Apostolos tradidisse testentur, aut id generatim affirmant, ad præceptum divinum, sive ad institutionem divinam pertinere; quandoquidem SS. Patres sunt legitimi testes divinarum traditionum."

IV. „Quidquid denique Ecclesia tanquam divinitus

traditum observat, aut docet, nec in SS. litteris extat, minime dubitandum est, quin sit divinae traditioni tribuendum: neque enim Ecclesia Catholica hisce in rebus errare potest."

*Auctoritas seu doctrina R. R. Pontificum*, inter fontes primarios tertio loco recensita, tripliciter considerari potest. 1<sup>o</sup> Quatenus R. Pontifex, omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate, doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam *definit* (prout illud ipsum cap. IV. q. VII. p. 54 sq. declaratum fuit). 2<sup>o</sup> Quatenus R. Pontifex, ut Pastor et Doctor omnium Christianorum, in publicis documentis aliqua monet aut suadet, reprehendit aut prohibet, vel etiam in Decretis dogmaticis aliqua affirmat aut negat, quin tamen animus ipsi sit haec ipsa *definire*. (Vide ibidem loc. cit. litt. d.). 3<sup>o</sup> Quatenus ut doctor privatus de rebus theologicis scribit aut disserit, vel etiam ut persona privata ad dubia sibi proposita respondet.

In prima hypothesisi, sive ut dici solet, cum Rom. Pontifex *ex Cathedra loquitur*, ejusmodi illius doctrina, secundum Concilii Vaticani definitionem, ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabilis est: ea igitur quae talis, etiam ante Ecclesiae consensum, argumentum *infallibiliter* certum suppeditat. — In secunda hypothesisi istiusmodi R. Pontificis doctrina, etsi quae talis locutionem ex Cathedra non constituat, ideoque argumentum infallibile non praebeat, *gravi* certè auctoritate pollet, cui scienter et volenter contradicere *temeritate* non careret. Quodsi universim temerarium reputetur, aliquid sustinere contra universalem Theologorum aut fidelium sen-

sum (cfr. *Dens de Fide* n. 55; item Franzelin *de div. Trad. et Script.* p. 125), majori sane ratione temeritatis notam non effugeret, qui hujusmodi R. Pontificis doctrinae refragari praesumeret. Consequenter argumentum inde assumptum (confer dicenda cap. VI. q. I.) ut quid *theologice* certum haberi potest ac debet. — In tertia tandem hypothese R. Pontificis doctrina *de se* majoris auctoritatis non est, quam alterius privati auctoris, quem admodum ipsemet Bened. XIV in praefatione ad opus suum *De Synodo Dioecessana* praemonet cum verbis Melchioris Cani: „cum edunt libros de re qualibet Romani Pontifices, sententiam suam ut homines alii docti expriment; non tanquam Ecclesiae iudices de Fide pronuntiant.” Pensanda igitur sunt argumenta et rationes, quas pro sua opinione allegant. Verumtamen, cum doctrinam et sensa Ecclesiae melius cognoscere censentur, ex capite illo scripta eorum per accidens auctoritate quadam extrinseca caeteris praestant.

*Auctoritas Conciliorum generalium*, inter fontes primarios quarto loco reposita, pro casus rerumve diversitate diversi etiam valoris argumentum affert. Nimirum 1<sup>o</sup> Quotiescumque Concilium generale seu oecumenicum, quod scil. auctoritate S. Pontificis legitime convocatum, celebratum et confirmatum est, cfr. Soglia p. I. § 33—36, doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam *definit*, hujusmodi Decreta, aut canones (quibus nempe ex adverso edicitur, quid ab omnibus vitari aut fugi debeat), ut totidem infallibilis Ecclesiae iudicia, argumentum *infallibiliter* certum praebent. 2<sup>o</sup> Dum Patres Concilii generalis in Decretis conciliariter latis, etiam in iis quae de fide vel moribus agunt, aliquid



monent aut suadent, affirmant aut negant, etc. non tamen ut doctrinam ab omnibus tenendam definiunt, istiusmodi eorum assertio, utpote Ecclesiae sensa proculdubio exprimens, ob rationem superius datam, pari modo ut quid *theologicè* certum habenda est. 3<sup>o</sup> Ubi verò sermo est de particulari opinione unius aut plurium etiam Patrum, quae in Actis Conciliorum legitur prolata vel defensa, non tamen conciliariter admissa, hujusmodi sententia majori auctoritate non gaudet, quam quae debita est argumentis seu rationibus pro ea adductis.

Itaque, ut ex Actis et Decretis Conciliorum generalium (et idem est de Actis et Decretis SS. Pontificum) rite argumentemur, sedulò semper videndum ac perpendendum est: *an* et *quid* in iis *definiatur*; quid contrà, etiam in Decretis dogmaticis, *incidenter* mere affirmetur aut negetur, etc. Hunc in finem, praeter alia superius cap. IV. q. VII. p. 56 indicata, ea scilicet, quibus doctrinae *definitio* a simplici affirmatione aut negatione internosci possit ac debeat, perutile est Conciliorum, errorum quoque quibus Ecclesiae doctrina opponitur, historiam bene perspectam habere.

Ad fontem, de quo agimus, referri solet Conciliorum etiam *particularium* auctoritas. Ex ipsa eorum naturâ perspicuum est, ea qua talia argumentum infallibiliter certum non suggerere, nisi forte doctrinae definitio in iis facta — quemadmodum olim, vigente jure antiquo quo et illis iudicium de fide et moribus permittebatur, non semel accidit — ab ipso R. Pontifice pro universa Ecclesia esset confirmata et approbata. Sunt tamen ea, quae in Synodis particularibus conciliariter geruntur, *de se* magnae auctoritatis, utpote quae, si non totius Ecclesiae, saltem integrae Dioeceseos, Provinciae, aut Natio-

nis doctrinam et sensa exprimere censentur. Cfr. Perrone *de loc. theol.* p. II. n. 275; item Soglia *Inst. can.* p. I. § 38.

Circa quintum Theologiae fontem primum, *Ecclesiae* nempe *dispersae doctrinam, sensum et praxim*, in primis advertendum est, per Ecclesiam dispersam non intelligi corpus fidelium a legitimis suis Pastoribus avulsum; neque solos Ecclesiae Pastores, Episcopos np. cum R. Pontifice totius Ecclesiae capite; sed Ecclesiam adaequate sumptam, prout ea in docentem et discentem distribui consuevit. Advertendum praeterea est, Ecclesiam sic acceptam, pro diverso considerationis respectu, duplici infallibilitate pollere, *activa* scilicet in docendo, et *passiva* in discendo seu credendo. Cfr. dicta cap. IV. q. VI; item Dens *de Eccl.* n. 80.

Itaque, quid valeat Ecclesiae dispersae doctrina, sensus et praxis, sic paucis comprehendi potest: 1<sup>o</sup> Quoties Ecclesia per orbem dispersa in rebus fidei aut morum aliquid velut *doctrinam ab omnibus tenendam* proponit et docet, vel ut talem credit et recipit, argumentum *infallibiliter* certum inde habetur. 2<sup>o</sup> Dum Ecclesia per orbem dispersa aliquid unanimiter affirmat aut recipit, non tamen ut doctrinam ab omnibus tenendam proponit vel admittit, huiusmodi Ecclesiae doctrina, sensus et praxis, naturâ suâ, gravissimae auctoritatis est, argumentumque inde deductum ut quid *theologicae* certum haberi potest ac debet. 3<sup>o</sup> Quando vero istiusmodi doctrina, sensus et praxis viget in ecclesiis particularibus tantum, argumentum inde assumptum magis aut minus probabile reputabitur pro dignitate aut numero earum ecclesiarum.

V. Inter media, quibus Ecclesiae dispersae doctrina, sensus et praxis innotescunt aut comprobari solent, principem locum tenent scripta SS. Patrum aliorumque veterum Ecclesiae Doctorum cum posteriorum etiam Theologorum et Canonistarum doctrina: et hac quidem de causa eorundem auctoritas inter fontes seu locos theologicos speciatim enumerari consuevit. — Ut autem de valore argumentorum, quae ex scriptis vel doctrina ipsorum desumuntur, recte judicetur, sciendum est diligenterque attendendum, quod iidem dupliciter spectari possint ac debeant. Videlicet

1<sup>o</sup> Ut *doctores privati*, qui suo modo Ecclesiae doctrinam exponunt, demonstrant aut vindicant. Et sic quidem illorum dicta tantum valent, quantum rationes et argumenta, quibus sententiam suam stabiliunt. Cfr. Melch. Canus *de loc. theol.* L. VII. cap. III; item Perrone *de loc. theol.* p. II. n. 285 et 289. — Decet tamen, maximeque convenit, ne unquam hujusmodi SS. Patrum, aliorumve insignium Auctorum opiniones leviter aestimemus, vel indignabundi rejiciamus. Si forsitan alicui eorum doctrina minus placeat, juxta monitum S. Augustini Lib. *de spiritu et littera* cap. 34 „quaerat doctiores, sed caveat, ne inveniatur praesumptiores”.

2<sup>o</sup> Ut *testes* doctrinae et traditionis Ecclesiae. Sub hoc respectu tria de iis statui possunt: a) unanimis ipsorum consensus, in rebus fidei aut morum aliquid ut doctrinam ab omnibus tenendam proponentium, argumentum *infallibiliter* certum suppeditat: nullum quippe dubium esse potest, quin doctrina ab iis sic exhibita, doctrina ipsius Ecclesiae sit, cui testimonium perhibent pro aetate quâ singuli floruerunt. Cfr. Perrone l. c. n. 283. b) Consensus illorum unanimis, in rebus fidei aut

morum aliquid affirmantium aut negantium, non tamen ut doctrinam ab omnibus tenendam proponentium, argumentum *theologice* certum afferre censetur: enimvero si hujusmodi eorum testimonium veluti doctrina Ecclesiae haberi nequeat, ejusdem saltem *sensa*, quibus contraire temerarium est, inde patescunt. c) Quando Patres aut Theologi in relatione doctrinae aut sensûs Ecclesiae non consentiunt, ejusmodi quorundam testimonium, pro casus diversitate, plus aut minus valere poterit, certum tamen argumentum inde deduci non poterit, nisi forte ipsamet Ecclesia doctrinam et *sensa* alicujus Patris vel Theologi, in certa materia, ut sua agnoverit, prout factum dicitur de principiis, quae S. Augustinus de existentia peccati originalis, et necessitate gratiae contra Pelagianos propugnavit. Cfr. de Feller *Dict.* art. *S. Augustin.*

*Nota.* Ex iis, quae litt. a) et b) constituta sunt, videre est, quam merito Concilium Tridentinum, cujus Decretum in Conc. Vat. innovatum, uberiusque declaratum fuit, (confer. dicta p. 64.), Sess. IV. *De edit. et usu sac. libr.* ordinavit: „ut nemo, suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium . . . contra eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, . . . aut etiam *contra unanimum consensum Patrum*, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat.”

2) Praeter media jam exposita, quibus Ecclesiae dispersae doctrina, sensus et praxis potissimum dignoscitur, dantur alia non minoris momenti et efficaciae, quibus idem effectus secundario modo obtinetur. Sunt ea:

a) Symbola et fidei professiones in Ecclesiâ recepta. Haec quippe totidem documenta sunt, quibus publica et antiqua Ecclesiae fides nitide exprimitur.

b) Libri doctrinales et Catechismi, auctoritate publica in Ecclesia admissi. Quos inter prae caeteris memorari meretur Catechismus romanus, ad normam Tridentini Decreti (*continuatio* sess. XXV), a S. Pio V editus, quem ut fontem maxime proprium ad repellendas fraudes perversarum opinionum, ad propagandam et stabilendam modo solido veram ac sanam doctrinam, omnibus proposuit Clemens XIII in Litt. Encycl. 14 Junii 1761, et quâ talem denuo commendavit SS. D. N. Pius IX in Encyclica 8 Dec. 1849. Vide Kersten *Journ. Hist.* T. XVI. p. 478.

c) Libri liturgici, puta Missalia, Breviaria, Ritualia, Pontificalia, Caeremonialia, Sacramentaria, etc. Hisce enim, ut totidem monumentis publicae et antiquae Ecclesiae praxeos in Sacris peragendis, ejusdem fides et sensa longo saeculorum lapsu mire comprobantur. cfr. Martene *De antiq. Eccl. ritibus*; item Renaudot *Recueil d'anciennes liturgies orientales*.

d) Festorum institutio cum Vigiliis et Jeuniis in Ecclesia observatis. Quodsi universim forma orandi sit norma credendi, videbit quisque quantopere etiam per illa Ecclesiae fides et sensa commendentur.

e) Acta martyrum. In his quippe non subjectivos conceptus alicujus fanatici, sed responsa et testimonia habemus hominum plurimorum omnis generis et conditionis, qui in confirmationem veritatis creditae sanguinem suum profundere non dubitarunt. Ea etiam Acta — et hoc quidem non exiguum pondus iisdem adjicit — ab Episcopis solebant colligi approbarique, et quâ talia in publicis fidelium coetibus praelegi. cfr. Ginouillac *Hist. du dogm. cath.* p. XXXVII Introd.; item Ruinart *Martyr. acta sinc.*


f) Historia ecclesiastica ab auctoribus fide dignis scripta. Siquidem illa est, quâ Ecclesiae origo et fundatio, progressus et fata, fides et praxis, quasi in speculo exhibentur.

g) Historia haeresum. Et hæc quidem duplex veritatis argumentum nobis suppeditat. Unum veritatum seu dogmatum Ecclesiae, quae ab haereticis impugnata sunt, et qua de causa ab Ecclesia exiêre aut ejecti sunt; alterum earum veritatum, quas recedentes ex Ecclesia secum tulerunt.

h) Monumenta materialia antiquitatis, puta epigraphia, numismata, picturae, sculpturae, et alia id genus plura, quae homines apprime docti quasi e pulvere suscitaverunt ad confusionem Protestantium, aliorumque Ecclesiae ac dogmatis catholici obtrectatorum. Confer Perrone *de loco theol.* p. II. n. 296—306.

VI. Superest, ut de fontibus *subsidiariis*, seu argumentis a ratione naturali caeterisque impropriis Theologiae locis petitis, quaedam proferamus. Verùm, quia inferius cap. VIII de rationis naturalis usu et abusu in S. Theologia specialiter disserturi sumus, hoc loco satis erit summarie adnotare, quale subsidium hujusmodi argumenta Theologo praestent. Doctor angelicus *in Sum. Theol.* p. I. q. I. Art. VIII. quaestionem illam incidenter attingens, ea de re in hunc modum scribit: „argumentari ex auctoritate (adscitis n. p. argumentis ex fontibus Theologiae stricte dictis) est maxime proprium hujus doctrinae, eo quod principia hujus doctrinae per revelationem habentur . . . . Utitur tamen sacra doctrina etiam ratione humana, non quidem ad probandum fidem, quia per hoc tolleretur meritum fidei, sed ad

manifestandum aliqua quae traduntur in hac doctrina. Cum igitur gratia non tollat naturam sed perficiat, oportet quod naturalis ratio subserviat fidei, sicut et naturalis inclinatio voluntatis subsequitur charitati. Unde et Apostolus dicit II ad Cor. X. 5. *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*. Et inde est, quod etiam auctoritatibus Philosophorum sacra doctrina utitur, ubi per rationem naturalem veritatem cognoscere potuerunt, sicut Apostolus *Act. XVII. 28.* inducit verbum Arati dicens: *sicut et quidam poetarum vestrorum dixerunt: genus Dei sumus*. Sed tamen sacra doctrina hujusmodi auctoritatibus utitur quasi extraneis argumentis et probabilibus."



## Caput VI.

### De variis veritatum gradibus in Theologia distinguendis.

- I. Quot et qui veritatum gradus in S. Theologia distinguendi soleant? indicando, praecipuas veritatum species, quae ad singulum referuntur.
- II. Quid in gradus illos, pro recta eorum applicatione, adnotari possit?
- III. An et quomodo peccet, vel etiam haereticus dicendus sit, qui veritates theologice certas impugnare, aut propositiones ab Ecclesia infra notam haereseos damnatas propugnare non veretur?

I. Veritates, quas S. Theologia in suo ambitu complectitur, pro diversa obligatione quam imponunt aut secum ferunt (inde enim, et non à certitudine earum distinctio ista desumitur, cfr. dicta cap. IV. q. VI. et VII.), communi calculo ad tres gradus seu ordines reduci solent.

Primum gradum efficiunt veritates *fidei*, seu veritates quae in revelatione divina explicite aut implicite continentur, et quæ tales ab Ecclesia (sub triplici organo spectata) omnibus Christi fidelibus fide catholica credendae proponuntur. Dicitur *fide catholica*: praecedimus enim a revelationibus divinis, quae forsitan cuiuspiam peculiariter factae sunt. Ejusmodi veritates possunt utique esse de fide divina; verumtamen quæ tales ab omnibus fide catholica credendae non sunt. Cfr. Dens *de Fide* n. 12. — Ad hunc gradum referuntur

a) *Articuli fidei*, quorum nomine — etsi de se idem sonent ac dogma aut punctum fidei — per oppositionem ad alias fidei veritates intelliguntur passim veritates quaedam *primariae*, in Symbolis Ecclesiae nobis exhibitae. Cfr. *de Fide* n. 22.

b) *Dogmata definita*, quae n.p. solemniter Ecclesiae iudicio fuere decisa, omnibusque Christi fidelibus sub poena haeresis credendae proponuntur. Hujusmodi fidei veritates, utpote speciali modo omnibus ad credendum propositae, nonnumquam simpliciter fidei dogmata appellantur.

c) *Dogmata catholica*, seu veritates in Verbo Dei scripto aut tradito contentae, et quæ tales ordinario Ecclesiae magisterio omnibus ad credendum propositae, quin adsit explicita earum definitio (cfr. dicta cap. IV. q. V. p. 45. 46.). Dogmata ista, saepenumero dogmata *re-*



*velata*, aut etiam veritates *ad fidem spectantes* nuncupata, de se ejusdem firmitatis et obligationis sunt ac ipsa dogmata solemniter definita. Consequenter si quis Christianus, insurgens adversus hujuscemodi Ecclesiae propositionem sibi sufficienter notam, dogma quoddam catholicum sciens volens negaret, vel etiam in dubium vocaret, non modo contra fidei obligationem deficeret, at jure meritoque, etiam ante Ecclesiae definitionem, ab omnibus ut haereticus haberetur, quemadmodum factum legimus quoad Arium, Nestorium, Lutherum, aliosque haeresiarchas. Vide Perrone *de fide, spe et char.* p. I. n. 195; item Soglia *Inst. can.* p. III. § 166 alias 232. — Quia vero hujusmodi Ecclesiae dogmata singillatim et expresse sub poena haereseos proponi non solent; quia insuper contingere potest, quod circa ejusmodi veritates in revelationis deposito contentas, et quae tales fide divina credibiles, dubium exoriatur, utrum infallibili Ecclesiae magisterio *sic* proponantur, ut ab omnibus Christi fidelibus fide *catholica credi debeant* (cujus rei exemplum habemus in conceptione immaculata B. Mariae Virginis, nec non in infallibilitate R. Pontificis ex Cathedra loquentis: veritates istae, ante solemnem earum definitionem, erant sane fide divina credibiles, et reipsa in universa Ecclesia pie credebantur ob fundamenta seu motiva revelationis quibus innitebantur; attamen veritates, ab omnibus Christi fidelibus fide catholica *credendae*, postea solum evaserunt); his quidem de causis cum Concilio Prov. nostro p. 27 dici potest: „haeresis nota non incurritur, nisi cum negantur dogmata solemniter definita.” Hac quoque ratione vere scribit Suarez *de Fide* Disp. XIX. Sect. 3. n. 11.: „si aliquis nollet credere aliquid in Scriptura contentum, quia non pu-

tat, illum esse verum Scripturae sensum, non erit pertinax contra fidem (ideoque nec haereticus), donec Ecclesia illum sensum approbet, et illi nihilominus resistat." Ea quoque ratione verissime ait Perrone l. c. n. 470: „quamdiu quis paratus ac dispositus est ad se subjiciendum auctoritati Ecclesiae, quamvis erret in fidei negotio, haereticus non est, nec dici potest. Pertinacia (ad haeresin requisita) consistit in voluntate deliberata resistendi Ecclesiae aliter docenti."

Secundum gradum constituunt veritates *theologicae certae*, quae scilicet fidem directe non attingunt, attamen ita certae sunt, ut opiniones eisdem doctrinae capitibus adversae, quamquam haereticae dici nequeant, aliam tamen theologicam mereantur censuram. (De censuris ejusmodi vide Dens *de Fide* n. 55; item Gousset *Théol. dogm.* T. I. n. 1040—1052.). — Veritatibus istius generis accensentur:

a) Conclusiones theologicae, seu veritates in revelatione divina virtualiter contentae, atque ex ea ratiocinationis ope evidenter deductae. Harum quippe oppositum, si non haereticum, saltem ut erroneum, temerarium, etc., quandoque etiam ut haeresi proximum, habendum est. Exemplo sit ordo Diaconatus, cui dignitatem sacramenti competere, conclusione theologica ex praemissâ de fide evidenter deducitur. Cfr. Dens *de Ord.* n. 3; item Perrone l. c. n. 122.

b) Veritates istae, quarum contradictorium ipsamet Ecclesia infra notam haereseos, puta ut falsum, erroneum, temerarium, etc. *singillatim* condemnavit, vel etiam in *globo*, non additâ scilicet notâ quam singula propositio meretur, proscripsit. Hujusmodi veritates priori in casu ut theologicae certas habendas esse, ex ipsâ

descriptione superius data in comperto est. In posteriori vero casu singula utique propositio sic damnata aliquam censuram theologicam meretur; de nulla tamen in particulari constat, eam esse haereticam, licet etiam in globali damnatione nota *haeresis* interveniret: veritates igitur, quarum contradictorium sic damnatum fuit, veritates theologicae certis merito annumerantur. Cfr. Steyaert *In prop. damn.* p. 188—194; item Dens *de Fide* n. 55 et 83.

c) Veritates illae, quae communi Ecclesiae sensu nuntantur, quin tamen ut fidei aut morum doctrina ab omnibus tenenda per eam proponantur. Cujusmodi sunt plures propositiones in S. Theologia communiter admittae; plures etiam Scripturarum interpretationes unanimi Patrum consensu admittae; etc.

Tertium gradum efformant quaestiones *libere controversae*, in quibus nempe opinandi libertas relinquitur. Tales signanter sunt:

a) Opiniones illae, quas ipsa Ecclesia liberas esse voluit, aut censurâ ullâ notari expresse prohibuit. V. G. Systema Molinistarum et Thomistarum in materia de de gratia.

b) Plures quaestiones theoreticae aut mere speculativae, quae ultra fidei dogmata et veritates theologice certas, pro uberiori rerum revelatarum explanatione, a probatis auctoribus argumentis magis aut minus probabilibus *pro* et *contra* agitantur.

c) Nonnullae etiam quaestiones actionum humanarum honestatem seu moralitatem spectantes. Quamvis enim prima morum principia, revelationis aut etiam rationis lumine, per se clara et perspicua sint; quamvis non

desint canones atque decreta, quibus plura in re morali per legitimam auctoritatem fuere decisa vel determinata; quamvis denique magnam copiam prostent rerum moralium pertractationes, quibus viri doctrina ac pietate conspicui materiam istam egregie illustrarunt; nihilo secius permultas remanere morum quaestiones in quibus nihil certi habetur, praesertim ubi agitur de regularum interpretatione et applicatione ad casus particulares, nullus est qui ignoret. — Legi hic potest *Monitum* S. Alphonsi de Liguorio ad lectorem Theologiae moralis, initio operis positum.

II. Memoratos veritatum gradus in quavis rerum sacrarum exploratione aut pertractatione sedulo attendendos esse, inferius cap. VII. q. III amplius demonstrabitur. Interea loci, pro recta eorum applicatione, hic adscribere lubet celebrem regulam, ex operibus D. Augustini collectam: „In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas”. Dicitur

1<sup>o</sup> *In necessariis unitas.* Necessariorum nomine non solum intelliguntur fidei veritates ab omnibus credendae; multo minus fidei dogmata solemni Ecclesiae iudicio definita; verum etiam omnes et singulae veritates theologice certae, utpote quas nullus Catholicus, salva subjectione ex conscientia debita, negare vel in dubium vocare potest. Confer dicta cap. IV. q. V, p. 46—48. Procul igitur sit (prout ibidem jam verbo admonuimus) eorum agendi ratio, qui in hujusmodi veritatibus opinandi libertatem admissam volunt, aut illas etiam quaestionibus libere controversis assimilare non dubitant. Vir vere catholicus non modo Ecclesiae dogmata, sed et sensa illius, seu doctrinam communiter admissam, in

omnibus aemuletur necesse est. Quod hac in re Evangelii praeconibus mandat Concilium Prov. Ultraj. p. 107, id quilibet Catholicus, praesertim vero Theologus, sibi dictum aestimet: „inter dogmata et opiniones probe discernant, sed et doctrinam quoque noscant communi sententiâ praestantiorum Theologorum traditam, ne ab illa declinent.”

*Nota.* Illud tamen hoc loco in gratiam controversiarum animadverti potest, ipsos quandoque in sua cum haereticis polemica solas fidei veritates necessarias dixisse hac ratione seu motivo, ut qui escam ferre non poterant, doctrinae lacte, seu primis fidei veritatibus, ad conversionem facilius allicerentur juxta illud S. Pauli I. Cor. III. 2. *lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis.*

2<sup>o</sup> *In dubiis libertas.* Id est, in quaestionibus libere controversis, quarum specimina quaedam superius indicata sunt, secundum monitum Doctoris gentium ad Rom. XIV. 5. *unusquisque in suo sensu abundet.* Quapropter in hujusmodi quaestionibus sequamur regulam a Melch. Cano in opere *de loc. Theol.* L. VIII. cap. V. propositam: „Scholasticas quaestiones oportere a Decretis sejungere, fideique quaestiones ab his, quae modò huc, modò illuc transferuntur, et sine pietatis jactura possunt in utramque partem disputari. Decreta arcte tenere debemus, accurateque defendere: opiniones non item, sed si non cum Academiae, at cum christianae modestiae temperamento. Pro fide etiam cum vitae discrimine pugna sit; pro his, quae fidei non sunt, pugna sit, si ita placet, sed incruenta sit tamen.”

Regula ista exhibet normam in exploratione aut defensione istiusmodi controversiarum tenendam. Verùm

alia prorsus quaestio est: quid *in praxi* facto opus sit, quando omnibus serio perpensis de honestate seu licetate actionis ponendae certo non constat? Res illa, cujus summum momentum neminem latet aut latere potest, in Tractatu *de conscientia* ex professo expenditur, ejusdem etiam applicatio ad casus obvenientes in decursu S. Theologiae, data occasione, fieri solet. Nolumus igitur ea de re hoc loco pressiosem sermonem instituere. Sat erit in hac nostra *Introductione ad S. Theologiam* Confessarios cum Bened. XIV. (Epist. Encycl. 26 Jun. 1749 *Apostolica constitutio* § 21) admonere: „ut in re dubia propriae opinioni non innitantur; sed antequam causam dirimant, libros consulant quam plurimos, eos cumprimis, quorum doctrina solidior; ac dein in eam descendant sententiam, quam ratio suadet, et firmat auctoritas.”

3° *In omnibus charitas*. Hoc est, pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, in omnibus cum necessariis tum dubiis, juxta monitum Apostoli ad Phil. IV. 7., *custodiat corda et intelligentias vestras*. Quod ut fiat, magistro D. Augustino *de doctr. christ.* L. II. cap. 31., imprimis „cavenda est libido rixandi, et puerilis quaedam ostentatio”, quae non minus inimica est veritati, quam viro christiano indigna. Opus praeterea est secundum eundem Ecclesiae Patrem *de Trinit.* L. II. n. 16., ut veritatem „in pace catholica pacifico studio requiramus, parati corrigi, si fraterne ac recte reprehendimur, parati etiam si ab inimico, vera tamen dicente, mordemur”. Nam, ut recte et apposite scribit S. Cyprianus *epist.* 71, „non vincimur, quando offeruntur nobis meliora, sed instruimur, maxime in his quae ad Ecclesiae unitatem pertinent et spei ac fidei nostrae veritatem.”

III. Ex iis, quae superius ad II sub 1<sup>o</sup> de *unitate in necessariis* servanda, remissive ad alia quae cap. IV q. V. p. 46—48 rei istius respectu constituta erant, docuimus, prima fronte apparet, christianorum neminem, salva subiectione quâ Ecclesiae docenti obstringitur, veritates theologicæ certas impugnare, aut propositiones infra notam haereseos ab Ecclesia damnatas propugnare posse. Verùm ut principium istud (cujus applicatio *practica* ad duos casus particulares legi potest in Tractatu *de proh. et abol. librorum* pag. 17—21, item in *Responsis* anni 1872 p. 194—198) magis definiatur, tria hîc cum respectu ad quaestionem propositam universim statui possunt.

1<sup>o</sup> Ejusmodi personam, nisi forte bona fides ipsam excuset, graviter peccare contra *reverentiam et obedientiam*, quâ quilibet Christianus veritates istius generis recipere, et propositiones sic damnatas propellere tenetur. In confirmationem hujus assertionis recole, quae superius cap. IV. q. V. pag. 47 sq. cum verbis S. Pontificis Pii IX. et ipsius etiam Concilii Vaticani de re ista stabilita sunt.

2<sup>o</sup> Hujusmodi agendi rationem quâ talem, seu ex vi objecti et naturâ suâ, non constituere peccatum *haeresis*; ratio est, quod materia proxima istius culpae non sit propositio haeretica. Cfr. Suarez *de Fide* disp. XIX. sect. VI. n. 3<sup>o</sup>.

3<sup>o</sup> Sic agentem, si np. actionis suae consequentiam perspicuens, eidem nihilominus pertinaciter inhaereat, *per accidens* seu *indirecte* non raro haeresis culpâ irriti, in quantum scilicet ex necessitate consequentiae ea etiam negare censetur, quae *directe* ad fidem spectant. Ad fidem, inquit S. Thomas 2<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup> q. XI. Art. II, „aliquid pertinet dupliciter: uno modo *directe* et prin-

cipaliter, sicut articuli (seu dogmata) fidei; alio modo indirecte et secundario, sicut ea ex quibus negatis sequitur corruptio alicujus articuli; et circa utraque potest esse haeresis, eo modo quo et fides". Jam vero qui veritates Theologicae certas scienter impugnare, aut propositiones infra notam haereseos condemnatas propugnare non veretur, censetur illas (prioris), ut falsas, infundatas, aut certe, posthabita Sedis Apostolicae declaratione, ut quaestiones libere disputatas habere; has vero (posteriores), non obstante Ecclesiae aut S. Pontificis condemnatione, ut veras et legitimas opiniones considerare; adeoque implicite sustinere, SS. Pontifices in sua declaratione ac condemnatione a vero aberrasse, aut saltem potestatis suae limites excessisse. „ Quod quidem, ut cum Pio IX in Encyclica *Quanta cura* anni 1864 loquamur, quantopere adversetur catholico dogmati *plena potestatis* Romano Pontifici ab ipso Christo Domino divinitus collatae universalem pascendi, regendi, et gubernandi Ecclesiam, nemo est qui non clare aperteque videat et intelligat."

## Caput VII.

### De ratione seu methodo docendi et discendi Theologiam.

- I. An et quae methodus in docenda et discenda Theologia prae ceteris expediat? *Affirmo methodus Systematica.*
- II. Quid rei istius respectu in quavis rerum theologiarum pertractatione primùm curandum sit? *ut res apto ordine disponantur, et unum quasi corpus efficiant.*
- III. Quae insuper pro scientifica rerum illarum notione praestanda sint? *1º sedulo discernendum est, quid sit de fide, quid Theologiae certum, quid libere disputetur. 2º Curandum est, ut veritates ex revelatione assumptae vel ex ea deductae rite exponantur et comprobentur.*



IV. Quomodo pro hostium diversitate in ipsa veritatis catholicae tuitione aut defensione procedendum sit?

V. Quae tandem media Theologiae Candidatis arripienda sint, ut fructus uberiores ex studiis colligant?

I. Methodum aliquam, seu certam ac determinatam rationem, quam in veritatum tractatione et indagacione sequamur, in quolibet disciplinae genere necessariam esse, nemo est qui ignoret aut neget. Consequenter et sacra Theologia, utpote veritatum revelatarum erudita cognitio, veraque scientia, ceteris omnibus multifariam antecellens (cfr. dicta cap. I. q. III. et cap. II. q. III), certa aliqua methodo carere non potest. — Methodum vero *systematicam*, quâ n. res tractandae sic ordinantur aut disponuntur, ut omnes ab uno principio dependere et ad illud reduci videantur, S. Theologiae prae ceteris convenire, teste Liebermann *Inst. Theol.* T. I. p. 26. ed. 2<sup>a</sup>, communis hodie est eruditorum sententia. Exemplum Christi et Apostolorum, qui nusquam doctrinae suae systema exposuerunt, neque ad aliquem veritatum nexum vel ordinem attenderunt, nihil omnino in hac quaestione evincit aut probat. Nec Christum, nec Apostolos decuisset Philosophorum more disserere, et in arte quadam humana praesidium quaerere. Nos autem, quibus rerum divinarum scientia non e caelo illabitur, at studio et labore regulariter acquirenda est, quaevis media arripere debemus, quae pro aptiori scientiae istius explanatione et acquisitione magis utilia videntur. Quia vero ad finem illum, et praesertim quidem ad aliorum theologicam informationem, plurimum conducit, si dogma-

tum catholicorum admirabilis nexus, atque in unum doctrinae corpus perfecta concatenatio ad oculum demonstretur, videbit quisque, hujusmodi systematicam veritatum ordinationem in docenda et discenda S. Theologia prae ceteris expedire.

II. Habita rei istius ratione, in qualibet rerum theologiarum explanatione, illud primùm curandum est, ut veritates pertractandae debito ordine inter se disponantur. Ea est humanae rationis natura, ut rerum harmonia plurimùm delectetur, ideoque, sicut unius veritatis lumine illustratur, ita et unitatem in omnibus quaerit; ea insuper rectae ordinationis utilitas est, ut doctrina tradenda non modò amoenior inde fiat, sed illius etiam capita facilius intelligantur ac firmiter memoriae imprimantur; primum igitur, quod in qualibet rerum theologiarum pertractatione curari debet, illud profecto est, ut veritates explanandae apto ordine disponantur, et quomodo inter se connexae sint, ac unum quasi corpus efficiant, meliori quo fieri potest modo ostendatur.

III. Rebus ita dispositis, pro scientifica earum notione tria ulterius praestanda sunt:

1<sup>um</sup> est, sedulo discernere, quid in re, de qua agitur, fides doceat, quid theologice certum sit, quid libere disputetur. Quanti referat hujusmodi rerum tractandarum discretio, ex ipsa S. Theologiae naturâ sponte sua dimanat. Verum enim vero, si in quavis scientia vel arte certa ab incertis, et quae veriora videntur a rebus minùs notis diligenter distinguenda sint, majori sane ratione erudita religionis cognitio exigit ac postulat, ut

quo loco aut gradu res tractanda habenda sit, accurate determinetur. Qui secùs ageret, confundens np. scholae opiniones, aut etiam veritates theologice certas cum ipsis fidei veritatibus, hoc suo facto non solùm negligeret obligationes quas singulae imponunt, sed rei etiam catholicae maximum detrimentum inferret: „hac enim ratione, ut vere dicit Van Loo in sua *Introd. in Theol. dogm.* p. 52, apud haereticos et infideles imo et apud catholicos periclitabitur dignitas, sanctitas et veritas praestantissimae religionis”. — Praefata veritatum discretio (quid scilicet in re propositâ fides doceat, theologice certum sit, aut libere disputetur) in quavis discussione theologica apprime notanda, pari modo attendi debet in praedicatione veritatum aeternarum Sacrae Religionis nostrae, ne forte quis, res exaggerando, aut meras quorundam opiniones uno halitu proferendo, etiam ea, quae fide catholica omnino tenenda sunt, apud populum labefactet.

2<sup>um</sup> est, veritates a revelatione assumptas, vel ex ea deductas rite exponere ac comprobare. In veritatum illarum *expositione*, re sane summi momenti ut distincta earum cognitio acquiratur, imprimis caveri debet, ne unquam proprio ingenio nimis indulgeatur, aut recedatur ab eo sensu quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia. Juvat insuper, pro recta dogmatum intelligentia, bene attendere, quibus erroribus veritas ab Ecclesia definita vel declarata opponatur; et hac quidem de causa, ubi sermo est de veritate, quam haeretici ceterive Ecclesiae hostes impugnant aut pernegant, saepenumero perutile est, eorum placita paucis praelibare. Juvat etiam multùm, pro majori dogmatum claritate, bene perspicere, quae controversiae, salva Ecclesiae fide, circa non-

nulla dogmatum adjuncta in scholis agitentur, easdemque disputationes, illarumque valorem breviter expendere. Illud demùm non raro opus est, ut pro accurata dogmatis alicujus notione plures quaestiones philosophicae perspectae habeantur, aut certe unà simul summarie dilucidentur. Exemplo sit mysterium SS. Trinitatis. Quis unus, quaeso, primariam hanc fidei veritatem vel obiter percipere poterit, nisi praevie intelligat, quid per naturam et personam, per identitatem et distinctionem, etc. ontologice significetur aut denotetur? Hujusmodi quaestiones vel notiones, cum ipso dogmate intime connexae, quasi fidei appendices haberi possunt, „quas, teste Melch. Cano *de loc. Theol.* I. XII. cap. V, quoniam gratiâ explicandi illas, quae vere et proprie theologicae sunt, apposite et graviter adjunguntur, jure quodam vel similitudinis, vel propinquitatis, vel etiam ordinis Theologicas itidem haud absurde appellaveris.”

Postquam veritas tractanda rite exposita ac declarata fuerit, ea ipsa argumentis congruis confirmanda et demonstranda est. Enimvero licet infallibili Ecclesiae magisterio, tanquam primario certitudinis fundamento, omnes doctrinae revelatae partes sustententur, atque ideo pro vera et certa veritatis revelatae notione satis sit, modo constet, eam quâ talem ab Ecclesia omnibus Christi fidelibus tenendam proponi; plurimum tamen expedit, imo, ut ejusmodi doctrina ad notionem scientificam evehatur, necesse etiam est, singula doctrinae capita argumentis, ex S. Scriptura ceterisque fontibus Theologiae depromptis, perite confirmare ac demonstrare. — Quia verò de hujusmodi doctrinae revelatae demonstratione, et quid in ea prae ceteris attendendum sit; item de vi aut robore argumentorum, quibus S. Theologia

*Sic*

theses et conclusiones suas stabilire consuevit, alibi cap. IV et V copiose dictum est; ea quae ibidem constituta sunt, heic pro insertis habeantur.

3<sup>um</sup> est, veritatem explicatam et comprobatam contra fidei adversarios tueri, et a telis eorum defendere. Verùm ut res ista pro hostium diversitate apte perficiatur, nonnulla speciatim advertenda sunt. Sit igitur

IV. Fidei Catholicae obtrectatores generatim duplicis generis aut naturae sunt. Alii enim, haeretici vulgo dicti, Christi revelationem, divinamque Scripturarum inspirationem nobiscum admittunt, at Ecclesiae auctoritatem audacter abnegantes, temere asseverant: privato cujuscumque judicio, quid credendum sit, ex SS. Litteris colligendum ac dijudicandum esse. Alii vero, puta Rationalistae, Naturalistae, ceterique hujusmodi increduli, quo etiam nomine veniant, omnem Dei revelationem, saltem veram ac proprie dictam, indigne recusant aut pernegant, ut solius rationis placita, ejusdemque sufficientiam et plenam independentiam in dignoscenda qualicumque veritate proclamant ac vindicent.

In veritatis catholicae tuitione adversus primam errantium classem duplici modo seu via universim procedi potest: videlicet per modum *praescriptionis*, et per modum *discussionis*. Prior modus — quo jam pridem insignis rei catholicae defensor, Tertullianus in libro *de Praescriptionibus* cap. 37 haeticos sui temporis insectatus est verbis istis: „Qui estis? quando et unde venistis? quid in meo agitis, non mei? quo denique, Marcion, jure sylvam meam caedis? quâ licentiâ, Valentine, fontes meos transvertis? quâ potestate, Apelles, limites meos commoves? Mea est possessio: quid

hîc caeteri ad voluntatem vestram seminatis et pascitis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis auctoribus quorum fuit res". etc. — prior modus, inquam, fundatur in antiqua et legitima possessione veritatum, quas Ecclesia catholica a Christo Domino, ejusque Apostolis accepit. Quemadmodum in materia *juris* inter ceteros modos, quibus rei alicujus dominium acquiri, aut actio alterius elidi possit, communi calculo recensetur *praescriptio* (cfr. *Principia juris* n. 40 sq.), ita quoque in rebus *fidei* prisca Ecclesiae possessio argumentum suppeditat, quo recte evincitur, cuncta haereticorum dogmata aut placita, utpote nova, et hocipso a doctrina Christi aliena, ne audienda quidem esse, neque ad examen aut disputationem admittenda (niet ontvankelijk zijn). Vis seu robor istius argumenti in eo situm est, quod temporis lapsu nulla mutatio in doctrina Ecclesiae catholicae facta sit aut fieri potuerit; atque ideo quae nunc est Ecclesiae doctrina a Christo et Apostolis descendat. Et sane — ut antecedens hujus propositionis paucis confirmemus — Ecclesia Christi, velut civitas super montem posita, cunctis visibilis et conspicua, a primis saeculis longe lateque diffusa erat, ita quidem ut ipsemet S. Paulus ad Rom. I. 8. affirmare non dubitaverit: *fides vestra annuntiatur in universo mundo*; et rursus ad Col. I. 6: *Quod (Evangelium) pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est*. Fuit ipsi Ecclesiae quovis tempore alte repostum monitum ejusdem Apostoli I ad Tim. VI. 20: *depositum custodi*; item illud antiquitatis dictum: *nihil innovetur, nisi quod traditum*; cfr. Vincentius Lirin. *Commonit.* n. 22. Fuit ipsamet Ecclesia, historia teste, adversariorum obtreactionibus et cavillationibus indesinenter exposita;

etc. . . . Quocirca si quae mutatio in rebus fidei aut morum contigisset; historiographi, omnem disciplinae variationem referentes, ejusmodi mutationem a fortiori enarrassent; Episcopi, sacerdotes, quin et simplices fideles haud dubie reclamassent; tacentibus etiam Catholicis, ipsi haeretici, qui vel dogmatum definitiones ceu fidei immutationem nobis obtrudunt et exprobrant, certo certius e tectis divulgassent; ipsis novatoribus, prout semper factum est, et hodie fieri videmus, adhaesisset nomen innovationis suae; etc. At vero nihil horum invenitur, aut saltem fundate affirmari potest; contra antiqui haeretici, qui primis saeculis ab Ecclesia exierunt, in multis fidei articulis, quos posteriores abjecerunt, nobiscum mire concordant: concludere igitur licet, Ecclesiae catholicae doctrinam temporum decursu nullam mutationem subiisse.

Posterior procedendi modus, priore longior et operosior, pro casus diversitate diverse institui potest. Aliquando satis est, Ecclesiae doctrinam, haeticorum placitis oppositam, argumentorum pondere invicte demonstrare; siquidem, cum ad regulas logices contraria non possint esse simul vera, hujusmodi veritatis demonstratio per se adversae opinionis confutatio est. Quandoque pro errorum refutatione satis etiam est, eorum principium aut fundamentum convellere aut solio suo deturbare; hac quippe ratione, subverso np. fundamento, dilabitur universa errorum structura eidem superaedificata. Ex. gr. quum Protestantes totum quoddam doctrinae corpus deduxerint ex principio erroneo: quod hominis liberum arbitrium in ordine boni moralis per peccatum originale extinctum sit; ubi hujus fundamentalis erroris falsitas demonstrata fuerit, eo ipso corruunt quaevis alia

doctrinae capita, quanta etiam arte inde evoluta sint. Aliquando tandem ipsa haereticorum commenta etiam directe refelli possunt, ostendendo nempe eorum repugnantiam cum primis rationis principiis; aut falsa et absurda, quae continent, legitimâ consequentiâ inde deducendo; aut denique falsitatem eorum ex ipsa S. Scriptura, quam solam ut regulam fidei se habere jactitant, demonstrando. Etsi enim Scripturarum effata non semper talia sint quibus, seposita Ecclesiae auctoritate, veritas revelata invicte probari queat, prout superius cap. IV. et V. uberius declaratum fuit; nonnumquam tamen, attentis solis hermeneuticae regulis, eam claritatem prae se ferunt, ut haereticorum doctrina aperte iis contraria cognoscatur; proindeque per illa qua talia, quasi argumento ad hominem, jure meritoque jugulari ac confici possit.

Et haec quidem de modo procedendi contra haereticos dicta sint. — Ubi verò sermo est de veritatis catholicae tuitione adversus alteram errantium classem, illud primùm cum S. Augustino *de gen. ad litt.* L. I. c. 21. animadverti potest: „ut quidquid ipsi . . . . veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris litteris non esse contrarium. Quidquid autem . . . nostris litteris, id est catholicae fidei, contrarium protulerint, . . . . nulla dubitatione credamus esse falsissimum.” Duplex igitur, pro rerum varietate, hic patet via, quam et ipsum Concilium Vatic. sess. III. cap. IV insinuat hisce verbis: „inanis contradictionis species (fidem inter et rationem) inde potissimum oritur, vel quod fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel quod opinionum commenta pro rationis effatis habeantur.”



Itaque. 1<sup>o</sup> Quotiescumque hujusmodi adversarii aliquid firmis ac solidis argumentis veraciter demonstrant, illudque catholicae doctrinae opponere volunt, defensio nostra eò dirigenda est, ut ostendamus, illud ipsum nostris Libris, seu doctrinae catholicae rite intellectae, non esse contrarium, adeoque hancipsam, non obstante tali difficultate, intactam consistere. 2<sup>o</sup> Dum vero iidem revelationis hostes, rationis lumini scientiarumque progressui praefidentes, quidpiam docent, quod SS. Litteris, seu doctrinae catholicae rite intellectae, revera opponitur, sine ulla dubitatione credendum est, id falsissimum esse, et quomodo possumus, etiam ostendendum. Regulae istae in ipsa rerum natura, seu in vera revelationis ac rationis notione, fundantur. Enimvero — ut cum praefato Concilio l. c. loquamur — „etsi fides sit supra rationem nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere.” Consequenter, si quid rationis lumine *certo* constet, seu veraciter demonstratur, ob rationem mox datam indubie tenendum est, illud ipsum divinae revelationi ad mentem Ecclesiae intellectae non adversari. Sin vero rationis lumine aliquid doceatur aut asseratur, quod veritati illuminatae fidei, seu doctrinae revelatae ad mentem Ecclesiae intellectae, *revera* contrarium est, hoc ipsum pari motivo ut falsum omnino haberi debet. „Omnem assertionem, inquit memoratum Concilium l. c., veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse definimus.” Addidimus in postrema regula: *et quomodo possumus, etiam ostendendum.* Exigi profectò nequit, ut quaevis incredulorum

commenta, quae saepenumero aliud non sunt quam imaginariae quaedam hypotheses, serio confutemus; et hoc quidem tanto minus exigi potest, quod ex natura rei et juris regula probandi onus illi incumbat, qui factum allegat quo alterum ex sua possessione deturbare velit. Quousque hac in re defecerint, hujusmodi ipsorum objectiones et difficultates merito contemni possunt, aut certe satis est indicare modos, quibus dilui et solvi queant.

Quando autem in praefatis rerum adjunctis impugnatam fidei veritatem contra incredulos tueri, et a telis eorum defendere voluerimus, non poterit sane consuetis argumentis theologis ea vis attribui quae revera iis inest, nisi antea revelationis divinae existentia et credibilitas, nec non Ecclesiae catholicae veritas, ejusdemque in docendo infallibilitas contra illos solide stabiliantur: in omni quippe disputatione seu veritatis disceptatione hoc primùm requiritur, ut principio utrimque admissio argumentatio superstruatur; secus enim, utut firma ea fuerit, *petitione principii* ab adversario facile eluderetur. Verumtamen, hisce etiam praetermissis, restat alius modus quo, in defensione veritatis revelatae adversus incredulos ceterosque Ecclesiae catholicae aut revelationis divinae obtrectatores, ex SS. Litteris et reliquis fontibus Theologicis argumentari liceat. Quandoquidem ipsamet S. Scriptura — ut de hoc argumentorum fonte tantum dicamus — praecisione etiam facta a divina illius inspiratione, monumentum historicum est, de cujus authenticitate, integritate ac veracitate secundum regulas sanae criticae dubitari non potest. Ut igitur ex ea sic considerata aliqua fidei veritas, v. g. divinitas Domini Nostri Jesu Christi, quam proh dolor! tot impii hisce diebus vel

relativo et improprio sensu solùm admittunt, vel etiam prorsus abjicere non metuunt, contra hujusmodi malevolos adstruatur ac defendatur, hac aut simili ratione procedi poterit: veritas ista in SS. Scripturâ, etiam quâ libro mere humano spectatâ, multifariam multisque modis in proprio et nativo sensu enuntiatur ac praedicatur; ea igitur a quovis sensato viro in sensu proprio et nativo agnoscenda et profitenda est, nisi ejusmodi testimonia, spretis hermeneuticae ac criticae regulis, a vero eorum sensu violenter detorquendo, vel audenter abnundo, toti Christianismo nuntium remittere, quin et in scepticismum historicum abire velit. Profecto, si quis, *admissa* veritate eorum quibus Christi divinitas in SS. Litteris saepe saepius aperte adstruitur, contendat, haec omnia de divinitate relativâ aut late dictâ intelligenda esse, dicamus oportet, Apostolos et primos Evangelii praecones, imo et Christum ipsum, totidem esse deceptos aut turpes deceptores, quoniam illorum dicta et facta secundùm regulas sanae hermeneuticae istiusmodi interpretationem non sinant. Verùm hac ratione aut modo universum Christianismum subverti ac subrui, nemo est, qui non videat clareque perspiciat. Nec ejusdem quidem auctor et fundator, Christus Dominus, praestantis viri aut magni moralistae nomine, quemadmodum divinitatis ejusdem osores ipsum nonnunquam compellant, dignus foret, at potius ceu homo fanaticus ac turpis impostor habendus esset. Sin vero quispiam, *negata* veritate eorum quibus divinitas Christi in SS. Litteris toties edicitur, pugnaciter asseveret, neque Christum, neque Apostolos, neque primos Evangelii praecones unquam talia dixisse aut credidisse, sed omnia hujusmodi dicta et facta totidem legendas aut mythos esse, quibus

posteriores scriptores vitam Christi exornarunt, illud quidem consequitur, tali agendi ratione scepticismo historico latam portam aperiri. Enimvero si documentis praestantissimis, quorum authentia, integritas et veracitas secundum regulas sanae criticae apprime constant, fidem detrectare liceat ne veritatem exosam, non tamen impossibilem aut improbabilem, admittere cogamur, pari aut simili motivo quaevis antiquitatis monumenta abnegare aut in dubium vocare fas esset.

V. Superius dicta exhibent ea, quae in scientifica Theologiae explanatione prae ceteris aemulanda ac servanda sunt. Restat, ut de Theologia rite addiscenda pro modulo nostro quaedam proferamus. Praeter ea, quae finis istius obtutu in *Statutis Seminarii Nostri* cap. VI „De acquisitione scientiarum”, et cap. VII „De scientiis quibus alumni incumbere debent”, egregie ordinata ac praescripta sunt, adjungere hinc liceat quinque media peculiariora, ex Tract. cl. Liebermann *de relig. christ.* cap. III Art. II decerpta.

a) „Quod modum attinet discendi, prima proculdubio lex est, ordinem quemdam studiorum esse servandum. Nec omnia simul sibi discenda proponant candidati, nec ad unum tantum mentem continenter applicent; nimia rerum multitudine mens obruitur, uni autem longiori tempore affixa hebescit potius quam acuitur. Ita igitur inter varias Theologiae disciplinas horae dividendae sunt, ut varietate juvetur intellectus. Praeter tempus orationi, et rerum divinarum meditationi consecratum, nulla dies sine Sacrae Scripturae lectione praetercat, nulla sine dogmaticae et moralis doctrinae studio. Reliqua autem, quorum cognitionem gravissima status

ecclesiastici munia vehementissime postulant, ita distribuuntur, ut quae supersunt temporis intervalla impleant, et si non omnia quotidie pertractentur, statutum tamen per hebdomadem tempus habeant. Discant autem ferventer et constanter, nec animos frangat amor otii et rerum inanium cura. Nihil solidae instructioni magis obest, quam inquieta illa mentis curiositas, aut potius levitas, quae omnia obiter percurrit, et cum ex una disciplina paululum aliquid degustavit, ad aliam properat, mox iterum relinquendam.

b) „Legant auctores non multos, sed optimos, et quae in his sunt optima sedulâ lectione et meditatione digerant, mentemque nutriant vitali succo. Ad publicas praelectiones semper accedant praeparati, et quae audierunt postmodum mente retractent. Scriptioni assueti et semper calamo quasi armati, adnotent quae audierunt meliora, excerpantque legendo. Omne demùm tempus perire arbitrentur, quod non religionis exercitiis aut studiis impertiretur. Ita thesaurum sibi colligent eximium, ex quo aliquando tanquam scribae docti in regno coelorum proferre poterunt nova et vetera. (Matt. XIII. 52). Porro vires suas tentare, quam maxime oportet in studiorum delectu, et videre, quid valeant humeri, quid ferre recusent. Plures sunt, quibus satis sit necessariis sedulo incumbere; magnum scilicet damnum est, etiam utilibus studere, necessariis neglectis.

c) „Nulla decipiat candidatos spes compensandi in posterum studia, quae hac juvenili aetate, quâ nulla est ad discendum magis idonea, neglecta fuerint. Quippe magis semper invalescit laboris fastidium, quo mollius ipsi indulgetur; et experientiâ certum est, nihil in sa-

cris disciplinis proficere virum, qui animum studiis adjungere non consueverit juvenili aetate. Vix autem dici potest, quot fructus ex hac laboris consuetudine semel assumptâ excrescant; quot sibi delicias praeparet clericus, cùm sanctissimis religionis doctrinis explere possit quotidie incitatum semel et erectam discendi cupiditatem; quanta exinde sacro ministerio concilietur reverentia, quantum praesidium adversus tentationes et salutis pericula, quae animum vacuum et torpentem obruunt. Hoc igitur ante omnia animae imprimant Theologi, religionis scientiam clerico esse prorsus necessariam, et sicut sacrum, cui se addicere intendunt, ministerium aliis longe antecellit, ita et eos oportere aliis doctrinâ et coelesti sapientiâ antecellere; atque si hac fuerint destituti, ad eos pertinere illa Christi (Matt. XV. 14.): *caecus si caeco ducatum praestet; ambo in foveam cadunt.* Nunquam autem spem sibi faciant assequendae verae solidaeque doctrinae, si ad religionis studium accedant frigide et oscitanter, quasi aliud omnino agentes, aliisque occupati curis, nec satis animo et cogitatione complexi illius rei magnitudinem, ad quam aspirant.

d) „Sit in Theologiae candidato praeter laboris patientiam, et scientiae desiderium, ingenium docile, veri rectique amans et tenax. Non exiguum in adolescentibus ingenuae indolis indicium est, si professores suos non minus quam studia ament, eosque parentes non quidem corporum, sed mentium credant. Nam ut optime observat Quintilianus, multum haec pietas confert studio; ita enim et libenter audient, et dictis credent, et esse similes concupiscent. . . . .

e) „Sicut in omni doctrinarum genere, sic quam maxime in Theologiae studio praecipuum est, ut ani-

mum accendat sincerus amor religionis. Haec siquidem rectum studiorum finem ostendit, et eo magis vetat sancta profanâ mente sectari, cùm etiam ad profana deceat sanctè accedere. Frustra scilicet ad scientiam ingenio, labore, industriâ nitimur, nisi animum afferamus à vitiis et pravis affectibus vacuum, plenum autem Deo et virtutum amore. „Errat, ait S. Augustinus (L. *de agone Christi* cap. 13), quisque putat veritatem se posse agnoscere cum adhuc nequiter vivat . . . . *in malevolam animam non introibit sapientia* (Lib. *Sapientiae* I. 4.). Ita enim arctissime connexa sunt studia virtutis et scientiae, ut si fortassis sine virtute haberi possit umbra aliqua doctrinae, ipsa doctrina, qualis ea in Theologo esse debet, sana et sancta haberi profecto neququam possit. Demùm, ne id praetermittamus, quod omnium primum est, et praecipuum: meminerint tyrones in vanum se laborare, nisi totius operis Deum adhibeant ducem. *Disce*, inquit Spiritus Sanctus apud Baruch III. 14, *ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus: ut scias simul ubi sit longiturnitas vitae et victus, ubi sit lumen oculorum et pax*. Nullos imprimis hujus coelestis doctrinae fructus proferre poterit etiam fertile solum, ac multo labore subactum et excultum, nisi coelesti rore perfundatur. Labori itaque adjungenda est oratio; his quasi pennis subnixi ad coelestium veritatum cognitionem asurgemus . . . . *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Domino, qui dat omnibus affluenter, et non improperat: et dabitur ei.* (Jac. I. 5.)”



## Caput VIII.

De rationis naturalis usu et abusu in Sacra  
Theologia.

- I. Quanti referat accurrata rei istius notitia?
- II. Quot et quae errorum genera hac in re distinguenda sint? assignando 2) veram aut principem belli istius originem.
- III. Quid de mutuo fidei et rationis foedere universim tenendum sit?
- IV. Quotupliciter ipsamet ratio in relatione ad fidem spectari possit, et quae sint illius jura et officia sub singulo respectu?
- V. Quae vicissim fides praestet cum respectu ad rationem naturalem; et quid ex iis 2) deduci possit tum circa rationis ac Philosophiae debitum in rerum etiam naturalium exploratione, tum contra errores hac in re vigentes?

---

I. Nihil sane temporibus nostris magis utile ac necessarium est Theologo, quam ut legitimum rationis usum ab ejusdem abusu in materia theologica discernere valeat, tum ut varios et multiplices errores hac in re vigentes sedulo evitet, tum ut verum fidei ac rationis consortium, mutuaque earum subsidia bene perspecta habeat.

II. Errores hac in re vigentes, tametsi multi et varii illi sint, ad tria capita commode reduci possunt. Alii



enim, quibus prae ceteris connumerandi sunt Supernaturalismi et Traditionalismi propugnatores, nativam rationis vim adeo extenuant ac deprimunt, ut eam quâ talem, sine revelationis supernaturalis aut generis humani subsidio, ineptam, aut saltem non satis idoneam reputent ad veritates, etiam ordinis naturalis, certo cognoscendas et comprobandas. Alii vero, Naturalistae, aut Rationalistae absoluti vulgo dicti, naturalem cognoscendi facultatem sic efferunt et extollunt, ut praeter alia in *Syllabo* pp. III—VII solemniter proscripta, affirmare non dubitent: „omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma quâ homo cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.” (Ibidem pp. IV.). Alii demum, Rationalistae moderati, quorum praecipui errores in *Syllabo* pp. VIII—XIV. perstringuntur, fidem et rationem ita inter se committunt, ut mutuam illarum foedus, seu genuinam necessitudinem quae, Deo volente, inter eas intercedit, plane evertant ac destruant.

2) Omnes hae lites, opinionumque commenta circa rationis et fidei analogiam — etsi quaestio ista ab ipsis Christianae religionis primordiis jam coeperit, et saeculis insequentibus majori aut minori intensitate agitari non desierit — a tempore Protestantismi praesertim invaluerunt. „Per Lutherum nempe, et consequentes saeculi XVI reformatores, ut cum Perrone loquamur, vere inductum est implacabile dissidium scientiam inter et fidem, Philosophiam inter et Theologiam. Lutherus enim duo illa posuit plane secum pugnantia principia ex quibus ejusmodi dissidium necessario consequi debuit; quippe ex una parte rationis nullitatem, seu *Nihilismum* in fide proclamavit, ex alterâ verò rationis individuae seu spi-

ritus privati libero examini subiecit omnia. . . . . Quid igitur mirum, si Protestantismus iisdem contradictoriis principiis insistens, ac sese jugiter evolvens, bellum illud rationem inter ac fidem acrius in dies effecerit, sic ut aut *Rationalismus* ejus soboles fidem christianam plane absorbeat, aut *Nihilismus* nativum rationis lumen, et humanae voluntatis arbitrium pessumdet? Huc igitur vera est hujus inter Theologiam ac Pseudo-philosophiam saevientis in dies magis belli origo revocanda." *Hist. Theol. cum Philos. compar. synopsis* n. 60.

III. Ut in hac errorum colluvie verum rationis ac fidei consortium, mutuaque earum subsidia accurate determinentur, praemittere juvat, quid rei istius respectu, secundum Ecclesiae doctrinam, *generatim* tenendum sit. „Etsi fides sit supra rationem (ita scribit SS. D. N. Pius PP. IX in Litt. Encyl. 9 Nov. 1846) nulla tamen vera dissensio, nullumque dissidium inter ipsas inveniri unquam potest, cum ambae ab uno eodemque immutabilis aeternaeque veritatis fonte Deo Optimo Maximo oriantur, atque ita sibi mutuo opem ferant, ut recta ratio fidei veritatem demonstret, tueatur, defendat; fides verò rationem ab omnibus erroribus liberet, eamque divinarum rerum cognitione mirifice illustret, confirmet atque perficiat." Eodem fere modo ipsum etiam Concilium Vatic. sess. III. cap. IV. materiam istam proponit et exprimit, decernens insuper, Ecclesiam non obsistere humanarum artium et disciplinarum culturae, nec commoda ignorare aut despiciere quae inde ad hominum vitam dimanant, sed solum cavere, ne artes et disciplinae humanae a vero aberrant, aut limites suos praetergrediantur. „Non solum fides et ratio (sic ibi-

*Contra rationalistas  
moderatos, qui tollunt  
mutuum socium inter  
fidem et rationem  
proin contra  
tertium errorem*

dem in terminis dicitur) inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat, ut hanc multis modis juvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur imo, eas quemadmodum a Deo, scientiarum Domino, profectae sunt, ita si rite pertractentur, ad Deum, juvante ejus gratia, perducere. Nec sane ipsa vetat, ne hujusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed justam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae, ea quae sunt fidei, occupent et perturbent".

At vero, ut praefatum rationis ac fidei consortium magis pateat, opem sive subsidium, quod sibi mutuo praestant, singillatim expendamus, necesse est. Sit igitur

IV. Ratio naturalis, de cujus subsidio, jure nempe *Contra supernaturalis* et officio, cum respectu ad fidei veritates, primùm *ortas et inedelionalis* dine logico disserendum est, in relatione ad eas triplitas, *proin contra* ceteri spectari potest: videlicet *per unum errorem.* videlicet *ante* assensum fidei veritatibus praestitum; *in* vel *cum* assensu iis dato; *post* assensum hujusmodi. cfr. Perrone *de loc. Theol.* p. III. n. 6. —

Sub primo respectu quatuor prae ceteris notanda veniunt:

1<sup>o</sup> Humana ratio, sine revelationis supernaturalis au-

xilio, plures veritates naturalis ordinis propriis suis viribus certo cognoscere ac probare potest. Enimvero, licet humana ratio primi hominis culpâ obtenebrata sit, nullo tamen modo extincta fuit, quemadmodum totidem verbis edicitur in Litt. Apost. Pii IX ad Archiep. Mon. et Frising. 11 Dec. 1862. (Append. XXVI Conc. Prov. p. 141).<sup>1</sup> Unde et Concilium Vatic. sess. III *De revelat.* can. 1<sup>o</sup> dogmatice decidit: „ Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse; anathema sit.” Et S. C. Indicis, in thesibus cum approbatione S. Pontificis die 15 Junii 1855 editis, inter alia declarat: „ Ratiocinatio Dei existentiam, animae spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest.” Huc etiam referri valet, quod ibidem sub 3<sup>o</sup> statuitur: „ Rationis usus fidem praecedit et ad eam hominem ope revelationis et gratiae conducit.” Vide append. XVIII Conc. Prov. p. 105.

2<sup>o</sup> Potest humana ratio, etiam *individualis*, ideoque sine humani generis subsidio, sibi in pluribus certitudinem comparare. Propositio ista, cum praecedente intime connexa, confirmari potest ex falsis perniciosisque sequelis alterius sententiae: nam, ut vere ait Perrone *de loc. Theol.* p. III. n. 61 sq., si unicum certitudinis criterium, si suprema credendorum et agendorum regula sit consensus generis humani aut sensus communis (haec enim adversariis synonyma sunt), tunc sane omnis certitudini aditus praeciditur; ordo etiam a Deo constitutus ad homines in fide informandos subvertitur; via denique, quam Deus tenuit in communicanda revelatione, arbitrarie coarctatur. — Reduci huc possunt nonnullae propositiones, juxta Rescripta SS. CC. cum In-

dicis tùm S. Officii, in operibus Professoris Ubahgs emendandae, quarum 5<sup>a</sup> ita sonat: „Auctor omnes probationes veritatum externarum metaphysicarum reducit ad sensum communem. — Quae doctrina admitti nequit, eo quod aliquae veritates externae demonstrantur a posteriori per veritates internas absque ulla relatione ad sensum communem. Ita habentes conscientiam nostrae existentiae, directe inferimus, existere causam quae nobis existentiam contulerit, seu ab una veritate interna deducimus aliam veritatem externam absque interuentu sensûs communis.” Plura videsis apud Kersten *Journ. hist.* Tom. XXXII p. 172—181. et T. XXXIII p. 326. seq.

3<sup>o</sup> Dein — quod ad veritates revelatas speciatim attingit — ipsamet ratio naturalis non modo intelligit revelationis divinae possibilitatem, et hominis obligationem, supposita hujusmodi revelatione, firmissime assentiendi veritatibus in ea traditis; verùm ipsius (rationis) jus et officium quoque est: a) *Credibilitatis motiva*, quibus n. palam fiat, an et quid Deus revelarit, diligenter inquirere, et per ea sibi certitudinem comparare de revelationis divinae existentia. b) Ea, quae credenda proponuntur, aliquo modo, notitiis scilicet sive propriis sive analogicis, *apprehendere*. Primum horum vel ex eo patet, quod sine hujusmodi certitudine debitus fidei assensus locum habere nequeat. „Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem (ita habet pp. 21 ab Innoc. XI damnata) stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine quâ quis formidat, ne non sit locutus Deus.” Hinc et Pius IX hoc ipsum rationis jus et officium in Litt. Encyl. superius laudatis 9 Nov. 1846 severe inculcat. „Humana ratio (sic dicitur ibidem), ne

*Ratio cum certitudine  
probare potest  
a) revelationis possi-  
bilitatem  
b) existentiam  
c) hominis obligationem  
firmissime assentiendi  
veritatibus revelatis.  
d) ratio potest veritates  
revelatas aliquo modo  
apprehendere notitiis  
sive propriis, sive  
analogicis.*

in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinae revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet, Deum esse loquutum, ac Eidem, quem admodum sapientissime docet Apostolus, rationabile obsequium exhibeat." — Alterum vero, quod ipsis illis verbis in Conc. Prov. Ultraj. p. 10 enuntiatur, ex eo liquet, quod si ad fidem concipiendam opus non sit veritatis notione *comprehensiva*, ejusmodi tamen necessaria sit veritatis intelligentia, quâ mens eorum, quae credenda proponuntur, ideam sibi formare, eaque cogitatione percipere, sibi que repraesentare valeat. Sine hujusmodi veritatis notione, quam non inepte *apprehensivam* vocarunt Theologi, fides ipsa ad inanem verborum sonitum revocaretur, nec fidei nomen vero sensu mereretur: cfr. Van Loo *Introd. in Theol. dogm.* p. 103.

4<sup>o</sup> Ab altera tandem parte, humana ratio propriis suis viribus, absque revelationis divinae beneficio, non sufficit „ad hominum ac populorum bonum curandum" (cfr. pp. III *Syllabi*); nec potest quâ talis „cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi" (pp. IV *Syllabi*). Unde et ipsum Vat. Concilium sess. III *De revel.* can. 3 dogmatice definit: „Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem jugi profectus pertingere posse et debere; anathema sit." Quin imo secundum ejusdem Concilii decretum l. c. cap. II „divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint." — Plura hùc spectantia videri

possunt in Tract. *de vera relig.* n. 50 sq., Soglia *Inst. can.* p. I. § 63, Perrone *de vera relig.* n. 24 sq. Etc.

Sub secundo respectu, — quid *np.* rationis sit, aut non sit *in* vel *cum* assensu fidei veritatibus dato — in primis advertendum est, quod ratio et fides constituent duos cognoscendi modos seu ordines principio et objecto distinctos. „Perpetuus Ecclesiae Catholicae consensus, inquit Conc. Vat. sess. III. cap. IV, tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed objecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; objecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt.”

Speciatim vero in re, de qua agimus, quatuor puncta similiter notari merentur: —

1<sup>o</sup> Intrinsecam rei veritatem, naturali rationis lumine perspectam, nusquam haberi posse ut objectum *formale* seu motivum fidei divinae; vera quippe ratio sive motivum, quo homo inducitur ad credendum veritates revelatas, aliud non est, quam ipsa Dei auctoritas seu veritas in dicendo. Concilium Vat. sess. III. cap. III. ea de re verba faciens, in hunc modum loquitur: „hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia Catholica profitetur virtutem esse supernaturalem, qua Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest.” Et can. 2<sup>o</sup> ejusdem capituli errorem oppositum hisce verbis perstringit et damnat: „Si quis dixerit, fi-

1<sup>o</sup> Intrinsecam rei veritas perspecta non potest esse motivum fidei divinae  
 2<sup>o</sup> nec fallit assensus fidei libertatem, nec gratiae necessitatem  
 3<sup>o</sup> De uno eodemque objecto potest haberi scientia et fides divina  
 4<sup>o</sup> Fidei ratio non excluditur, sed potius spectatur.

dem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur; anathema sit."

2<sup>o</sup> Veritatis christianae demonstrationem, aut motivum quodcumque credibilitatis, non officere assensûs libertati, neque gratiae necessitati ut credamus sicut oportet. „Licet fidei assensus, ait denuo Concilium Vat. sess. III. cap. III., nequaquam sit motus animi caecus: nemo tamen evangelicae praedicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati. Quare fides ipsa in se, etiamsi per charitatem non operetur, donum Dei est, et actus ejus est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratiae ejus, cui resistere posset, consentiendo et cooperando." Et can. 5<sup>o</sup> huc pertinente sic habetur: „Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci; aut ad solam fidem vivam, quae per charitatem operatur, gratiam Dei necessariam esse; anathema sit."

3<sup>o</sup> Nihil obstare, quominus de uno eodemque objecto, v. g. de Dei existentia, de animae humanae spiritualitate et immortalitate, etc. habeantur simul scientia humana et fides divina. Siquidem praeter fidei *mysteria*, quae natura sua intellectum creatum excedunt, ideoque, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt, in ipso revelationis deposito continentur alia, ad quae naturalis ratio suis viribus pertingere potest. Cfr. Concil. Vatic. sess. III. cap. IV. Jam vero, cum ex antea dictis tali in casu diversum cognitionis principium sit, diver-



sum quoque motivum ob quod assensus praebetur, nihil sane obest, quominus hujusmodi objecta rationis lumine cognoscantur, atque una simul, adstipulante gratia, propter auctoritatem Dei revelantis fide divina credantur. Cfr. Perrone *de loc. theol.* p. III. n. 156. sq.

4<sup>o</sup> Christi fidem non refragari humanae rationi (uti blaterant Naturalistae et Rationalistae cfr. pp. VI. *Syl. labi*); neque eam per assensum fidei veritatibus praestitum ullo modo extingui aut supprimi. Quamvis enim propter auctoritatem Dei revelantis, etiam in iis quae rationis aciem excedunt, in captivitatem redigendus sit omnis intellectus in obsequium Christi (II Cor. X. 5.); abest tamen multum, quominus hoc ipsum humanae rationi adversetur, vel quod ideo caecum obsequium ab ea petatur. Ipsamet ratio naturalis apprime intelligit, nihil magis rationabile esse quàm Deo loquenti fidem adhibere; intelligit insuper, mysteria etiam accensenda esse inter ea quae ab infinita Dei sapientia revelari possunt hominibus. Vide Conc. Prov. p. 10.

*Pantum abest, ut  
superaddita fidei luce  
intelligentiae virtutem  
exsuperat, aut  
immeruat, ut potius  
particiat, auctusque  
vibrabilis, habilem ad  
majora reddat.  
Ita Leo XIII in Epistola  
Encyclica "Aeterni Patris"  
4 Aug 1879.*

Sub tertio respectu — quid scil. ratio valeat, aut non valeat *post* fidei assensum — sequentia statui possunt:

1<sup>o</sup> Potest humana ratio suis viribus non modo cre-  
dibilitatis motiva, quibus nempe revelationis factum in-  
nititur, sed et singulorum dogmatum fundamenta in-  
vestigare: scrutando scilicet fontes et argumenta, qui-  
bus eadem continentur ac comprobantur, ut hocce modo  
non solum rationabile obsequium Deo praestemus, ve-  
rùm juxta monitum principis Apostolorum (I Petr. III.  
15.) semper parati simus ad satisfactionem omni poscenti-  
nos rationem de ea quae in nobis est spe. Cfr. Perrone  
l. c. n. 200 sq. — Sed ratio, quantumvis sit ex culta, non potest e naturalibus  
principiis oia fidei dogmata intelligere aut demonstrare: nam in revelatione  
continentur vera et proprie dicta mysteria.

*Contentum:*

- 1<sup>o</sup> Ratio potest in nos  
rigare, quoad  
sunt veritates creatae
- 2<sup>o</sup> potest eas ad sacra-  
mentum translationem  
reducere.
- 3<sup>o</sup> potest aliquo modo  
eas apprehendere  
per analogias  
et convenientiam  
ostendere
- 4<sup>o</sup> potest eas demonstrare  
et contra fidei hostes defendere.

*Sic* 2<sup>o</sup> Potest praeterea humana ratio fidei doctrinam ad tractationem scientificam evehere: fidei scilicet veritates, in revelatione divina confuse exhibitas, ordine methodico inter se disponendo, atque ad unum religionis systema redigendo. Quo fit, ut non modo veritatum illarum fundamenta majori luce affulgeant, sed earum etiam nexus et relatio, cum conclusionibus inde deductis, clarius appareant. Cfr. Perrone l. c. n. 210 sq.

3<sup>o</sup> Rationis insuper est, eorum, quae fide jam suscepta ac credita sunt, perfectiorem intelligentiam quaerere et persequi juxta illud S. Anselmi: *fides quaerens intellectum*. „ Quod cum fit (dicit apposite Conc. Prov. p. 11) lex illa comprobatur quam SS. Patres cum Augustino passim enuntiant, cum aiunt: credendum esse ut intelligamus, fructumque fidei antevertentis esse intelligentiam subsequentem.” Hic verò procedendi modus toto coelo differt a quorundam rationalismo theologico, quo humanae rationi et philosophiae, quae in religionis rebus non dominari, sed ancillari omnino debent, magisterii jus temere attribuitur. Aliud quippe est, admissis et creditis fidei veritatibus, earum intelligentiam, quoad fieri possit, studiose persequi, prout in casu dato fieri supponitur; aliud autem, ipsa fidei dogmata rationis iudicio submittere, et sic, inversâ regulâ, quasi dicere: intelligendum esse, ut credamus; id quod certe moderatum rationalismum, in *Syllabo* § II. proscriptum, aperte redolet.

4<sup>o</sup> Potest pariter humana ratio, prout in Concilio Prov. p. 11 cum verbis ipsius Pontificis Pii IX edicatur, „ veritates plurimas, quas fides etiam credendas proponit, per argumenta ex suis principiis petita demonstrare . . . atque hoc modo viam munire . . . ad illa etiam recon-

ditiora dogmata, quae sola fide percipi primùm posunt, ut illa aliquo modo a ratione intelligantur". Prior pars hujus propositionis per argumentum a minori ad majus in comperto habetur ex iis quae superius de valore rationis humanae *ante* fidei assensum constituta sunt. Quod vero posteriora dogmata spectat, etsi illa quæ talia solâ fide primùm percipi queant, potest tamen humana ratio fide illustrata saepenumero eorum *convenientiam* ostendere, aut etiam, ubi sermo est de iis quae, posito hominis lapsu, divina sapientia, providentia ac bonitas ad restaurandam naturam humanam facere decrevit, divinae voluntatis rationem exquirere, ut nimirum argumentis vel a divinae Sapientiae legibus, vel ab hominis necessitate petitis, jam non solùm credat, *quid* Deus voluerit et fecerit, verùm etiam intelligat, ea quae facta sunt, *sapientissime* sic facta esse juxta illud Eccli. I. 10: *effudit illam* (sapientiam suam) *super omnia opera sua*. Quo demùm fit, ut mens humana et penitiori veritatum illarum cognitione delectetur, et in ipsa etiam fide magis confirmetur.

5<sup>o</sup> Potest tandem humana ratio veritates fidei contra adversarios tueri et a telis eorum defendere. Argumenta huc spectantia, simul et modus quo, pro hostium diversitate, hac in re procedendum sit, superius cap. VII. q. IV. jam declarata sunt. Itaque, ne actum agere videamur, ad ea hîc remittimus.

Quodsi tanta sint emolumenta, quae ex ratione rite exculta, etiam *post* fidei assensum, in eam obveniunt; ab altera tamen parte longe a nobis sit eorum temeritas, qui asserere non dubitant: „omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae esse objectum naturalis scientiae seu philosophiae; et humanam rationem historice

tantum excultam posse ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditionibus dogmatibus scientiam pervenire, modò hæc dogmata ipsi rationi tanq uam objectum proposita fuerint." Unde et SS. D. N. Pius IX hanc eorum assertionem in *Syllabo* pp. IX in terminis proscripsit. Ipsum etiam Concilium Vatic. sess. III. *de fide et ratione* can. 1<sup>o</sup> dogmatice decidit: „Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari; anathema sit."

V. Magna et praeclara similiter sunt emolumenta seu commoda, quae vicissim fides suscepta praestat cum respectu ad naturalem hominis rationem. Concilium Prov. Ultraj. p. 13 ea de re disserens, tria recenset (in ipso etiam Concilii Vatic. decreto de quo suprà ad III, ordine tamen inverso, designata), quae ex fide in rationis propectum utilitatemque dimanant.

Primum est, quod fides rationem instruat veritatum supernaturalium cognitione, quâ alias destituta esset. „Fides, inquit Conc. Prov. l. c., non quavis ratione veritatem exhibet, sed veritatem proponit absolutam et infallibilem; veritatem quae abscondita fuit a saeculis et generationibus, quae nobis enarrata fuit per ipsum Unigenitum Dei Filium in sinu Patris manentem, quae est ipsa Dei Sapientia revelata per Spiritum Sanctum qui ipsa profunda Dei scrutatur, quae demùm ab eodem Dei Spiritu in Ecclesia custoditur ad consummationem usque saeculi."

Alterum est, quod fides rationem liberet a multis erroribus, in quos alioquin, etiam in ordine naturali, in-

cideret. „Mirifica, ait denuo idem Concilium l. c., hujusmodi veritatis manifestatio ac in rebus divinis rationis illustratio, aptissima sine dubio est ad rationem ipsam roborandam ac sustinendam, ne in multiplices gravissimosque errores prolabatur circa eas ipsas notiones Dei et mandatorum illius, quae humanae mentis limites non praetergrediuntur.”

Tertium est, quod fides rationem tueatur seu adjuvet in cognitione illarum etiam veritatum, quas lumine proprio stricto sensu cognoscere valet. „Falsum quidem esse tenemus, ita rursus dicitur l. c., nullam nisi ex fide haberi posse Dei Creatoris, bonorum ac malorum Retributoris notitiam, nullamque praesto esse cognitionem eorum quae ad Dei cultum morumque honestatem pertinent: immo tuemur, testimonio ipso conscientiae justae ac honestae principia innotescere, nosque ad Deum adduci; nec non ratiocinatione probari posse Dei existentiam, ad quam contra atheum ostendendam fides non posset allegari (confer dicta ad IV de rationis potentia *ante fidem*): sed tamen una simul agnoscimus, difficile et non sine errorum admixtione rationem humanam, lumine fidei destitutam, ad cognitiones illas eluctari, prouti nominatim compertum facit historia gentium, quas dimisit Deus ingredi vias suas, quaeque gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium immutaverunt.”

2) Quae cum ita sint, si talia ac tanta beneficia ex fide ad rationem redundent, „jam manifesto patescit — ut iterum cum ipso Concilio nostro Provinciali p. 14. loquamur — illud esse ex alia parte *rationis debitum*,

ut in iis, in quibus ipsa deviare posset, auctoritate fidei se regi permittat, eique plene subjiciatur. Rectus ergo usus humanarum disciplinarum ac in primis philosophiae nullo pacto declinare potest a fide ejusque doctrina per Ecclesiam proposita. Quamvis enim naturales illae disciplinae suis propriis ratione cognitis principiis nitantur, catholici tamen earum cultores divinam revelationem veluti reatricem stellam prae oculis habeant oportet, qua praelucente a syrtibus et erroribus caveant, ubi in suis investigationibus et commentationibus animadvertant, posse se illis adduci, ut saepissime accidit, ad ea proferenda, quae plus minusve adversentur infallibili rerum veritati, quae a Deo revelatae fuere."

Ex praefatis fidei muneribus, ejusdemque supra humanam rationem excellentia, illud etiam consequitur, falsas omnino ac temerarias esse has et alias hujusmodi Rationalismi moderati assertiones: „Quum ratio humana ipsi religioni aequiparetur, iccirco theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt." (cfr. *Syllab.* pp. VIII). Et rursus: „Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione" (pp. XIV. *Syll.*); ideoque haec et similia commenta Supremi Ecclesiae oraculi voce jure meritoque proscripta ac condemnata fuisse.

---

## Caput IX.

### De vera et falsa doctrinae revelatae progressionem.

- I. Quotuplex progressus in rebus theologice distingui possit, et quid de singulo judicandum?
- II. Qui errores in hac materia specialiter evitandi sint?

I. Ut palam fiat, *an* et *quis* progressus in rebus theologicis catholice admitti valeat, pro vario rerum illarum aspectu, triplex progressus distingui potest ac debet :

Primus est *materialis*, seu veritatum credendarum augmentum per novam aut uberiolem Dei revelationem. Hujusmodi progressum, saltem in modo revelandi, a tempore Adami usque ad Christum et Apostolos contigisse, testis est S. Paulus, scribens ad Heb. I. 1 et 2: „Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime diebus istis locutus est nobis in Filio quem constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula.” Dixi, *saltem in modo revelandi*: nonnulli enim (cfr. Dens *de fide* n. 23), duce Thoma Aquinate, opinantur, etiam tempore illo fidei articulos quoad *substantiam* non crevisse. Verba S. Thomae 2<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup> q. I Art. 7. haec sunt: „omnes articuli implicite continentur in aliquibus primis credilibus, scilicet ut credatur Deus esse, et providentiam habere circa hominum salutem, secundum illud ad Heb. XI. 6: *credere oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit*. In esse enim divino includuntur omnia, quae credimus in Deo aeternaliter existere, in quibus nostra beatitudo existit. In fide autem providentiae includuntur omnia, quae temporaliter a Deo dispensantur ad hominum salutem, quae sunt via ad beatitudinem. Et per hunc etiam modum aliorum subsequentium articulorum quidam in aliis continentur, sicut in fide redemptionis humanae implicite continentur et incarnatio Christi et ejus passio, et omnia hujusmodi. Sic ergo dicendum est, quod quantum *ad substantiam* articulorum fidei, non est factum eorum augmentum per temporum successionem: quia

quaecumque posteriores crediderunt, continebantur in fide praecedentium Patrum, licet implicite."— Sub nova autem lege, post Christum np. ejusque Apostolos, progressus *materialis* nullo pacto, neque in *modo* revelandi, neque quoad *substantiam* revelatorum, admitti potest, dicente ipso Domino apud Joannem cap. XVI. 13: *cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Hinc et S. Paulus I Cor. III. 11. ait: „Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus." Et rursùm ad Gal. I. 8: „sed licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit."

Alter progressus, in rebus theologicis distinguendus, *formalis* nuncupari consuevit, quo np. fit, ut veritates, in revelationis deposito contentae, per ulteriorem Ecclesiae definitionem, non quidem in se, at *respectu nostri*, seu in ordine cognitionis, incrementa capiant. Talem progressum in rebus fidei, etiam post tempora Christi et Apostolorum, revera dari, tot in historia testes habemus, quot in Ecclesiâ celebrata sunt Concilia generalia, quot a Sede Apostolica prodierunt Constitutiones dogmaticae. „Siquidem, ut vere scribit Perrone *de fide spe et char.* p. I. n. 117, plura, quae prius aut tantùm implicite credebantur, aut non nisi confuse fide tenebantur, cùm a nonnullis aut in dubium revocata fuerint aut etiam negata, Ecclesia per dogmatica sua decreta solemniter sancivit, ac in individuo credenda proposuit. Per has definitiones Ecclesia nova dogmata non cudit, sed antiquas veritates, quae in divina revelatione continentur, explicuit et sanxit. Hinc fides eadem jugiter permanet, sed respectu nostri, seu cogni-



tionis nostrae, antiquae veritates novam lucem firmitatemque adeptae sunt, aut adipiscuntur.”

Tertius progressus, qui in rebus theologicis discerni potest ac debet, *subjectivus* aut etiam *scientificus* vulgo dicitur, in eoque consistit, quod fidei veritates, salvo semper dogmate et sensu earum (nam, ut verissime ait Vincentius Lirin. *Comm.* n. 23, „ad profectum pertinet, ut in semetipsam unaquaeque res amplificetur; ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur”), scientificâ pertractione magis magisque excurentur, limentur et poliantur, eoque modo humana mens easdem fidei veritates clarius cognoscat, intimiusque intelligat ac sapiat. Hujusmodi quoque progressum in re theologica jure admitti posse, attestatur ipsum Concilium Vat. sess. III. cap. IV in fine, haec alia Vincentii Lirinensis verba sua faciens: „crescat igitur et multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia.” Ut autem scientificus istiusmodi progressus, quem Ecclesiae Patres ceterique Doctores scholastici immensis suis laboribus tantopere commendarunt, et promovere studuerunt, rite quaeratur colaturque, illud primùm diligenter attendi debet, quod idem Vincentius Lirin. l. c. n. 22 admonet: „O sacerdos, o tractator, o doctor, si te divinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrinâ, esto spiritualis templi Beseleel, pretiosas divi dogmatis gemmas exsculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adjice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur, te exponente illustrius, quod ante obscu-

rius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod antè vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen quae didicisti doce, ut cùm dicas novè, non dicas nova." Illud denique serio pensandum, altaque mente repostum sit, quod superiori capite de rationis humanae jure et officio cum respectu ad veritates revelatas traditum fuit, ne forte, hac in re excedentes aut etiam deficientes, similes reddamur iis, quos Apostolus II Tim. III. 7. denuntiat verbis istis: *semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes.*

Itaque, ne in praefatis progressûs theologici generibus a recto tramite deflectamus, praeter alias aberrationes superius cap. VIII. indicatas, quaeque indirecte hùc referuntur, notare juvabit, qui errores in hac materia specialiter evitandi sint.

II. Pro triplici progressus genere, quod suprâ distinximus, triplex etiam errorum classis, nostro praesertim tempore, discernenda est.

a) Alii enim, quorum commentum in Syllabo pp. V. exploditur, audenter asseverant: Divinam revelationem esse imperfectam et iccirco subjectam continuo et indefinito progressui qui humanae rationis progressionì respondeat. Secundùm hoc ipsorum placitum in rebus theologicis etiamnunc admittendus foret progressus *materialis*, quo np. doctrina per Christum et Apostolos tradita, non secus ac rationis naturalis inventa, et quidem per hancipsam, indefinite perficiatur ac compleatur. Verùm, qui talia dicunt, universam revelationis divinae oeconomiam funditus subvertunt: „neque enim, ut totidem verbis adstruit Concilium Vatic. sess. III. cap. IV, fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philoso-

phicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum Christi Sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda". Profectò ipsemet Christus Dominus, Filius Dei dilectus, in quo ipse (Pater) sibi complacuit, addens haec verba memoranda: *ipsum audite* (Matt. XVII. 5.), doctrinam *suam*, ab eo scilicet oretenus traditam, vel a Spiritu Sancto Apostolis dictatam, proposuit ut rem absolute perfectam et indefectibilem; ergo talem, cui a tempore illo nihil omninò addi vel demi possit. Vide mox dicta (ad I.) de progressu materiali.

b) Alii vero — quantum ad secundum progressum superius descriptum — Ecclesiae Catholicae exprobrare non verentur, quod illa, per ultiores ejusmodi definitiones, plures articulos Symbolo Apostolico adjecerit, eo que modo fides ipsa immutata sit. At verò, qui haec et similia in suâ sagacitate nobis obtrudunt, naturam ecclesiasticae definitionis aut ignorant aut malitiose pervertunt, non animadvertentes, quos novos articulos vocant, non esse nisi ultiores explicationes earum veritatum quae in revelatione divina comprehenduntur. „L'Eglise, inquit egregie Ginouillac *Hist. du dogme cath.* p. XV in introd., ne crée pas proprement les dogmes de la foi, elle les formule et les notifie. Avant ces décisions, les uns pouvaient ignorer de bonne foi qu'une vérité fût renfermée dans le dépôt de la révélation, d'autres pouvaient en douter: après ces décisions, l'ignorance et le doute ne sont plus possibles. La vérité divine s'est ouvertement déclaré: elle a acquis toute la notoriété nécessaire pour qu'on ne puisse plus douter du fait de sa révélation; il ne s'agit plus que de se soumettre et d'obéir; mais, encore une fois, elle n'a

pas été alors révélée. Que dis-je? cette doctrine, on la défend mieux dans le cours des temps; mais elle a toujours été défendue. On la présente dans un ordre plus scientifique; mais l'ordre le plus parfait est celui qui est tracé dans le Symbole. On la déclare d'une manière plus solennelle; mais, avant cette déclaration, on la regardait généralement comme révélée. On l'exprime en des termes plus précis; mais ces termes nouveaux sont employées pour rendre le sens d'une foi qui jamais n'a été nouvelle. Le progrès dogmatique qui s'accomplit dans l'Eglise est donc un progrès extérieur, relatif, dans la forme, et non un progrès substantiel et dans le fond de la doctrine." *Quinimo — et hoc notatu dignum est — hujusmodi quidem definitiones eo praesertim fine ab Ecclesia de tempore in tempus feruntur, ut sese efficacius novatorum erroribus opponat. Hinc ipsum Concilium Vaticanum (brevitatis gratiâ alia documenta praetermittimus) Romani Pontificis, ex Cathedra loquentis, infallibilitatem definiturum, sess. IV cap. IV. in terminis praemittit: „cùm hac ipsa aetate, quâ salutifera Apostolici muneris efficacia vel maxime requiritur, non pauci inveniantur, qui illius auctoritati obtreçant; necessarium omnino esse censemus, praerogativam, quam unigenitus Dei Filius cum summo pastoralis officio conjugere dignatus est, solemniter asserere”.*

c) Alii demùm — quantùm ad tertium progressum superius memoratum — improbant suggillantque id quod hac in re, approbante vel saltem tacente Ecclesia, a praestantissimis Doctoribus Scholasticis actum fuit; probant verò commendantque talem rerum theologiarum scientificam pertractationem, qualem Ecclesia, salvo munere sibi divinitus commisso, approbare aut tolerare ne-

quit. Qui et quomodo sub primo respectu errarint vel errent, alibi cap. III. p. 32 sq. jam dictum est. Sub altero autem respectu, praesertim notandum evitandumque est turgidum Rationalistarum commentum, quo ex una parte affirmare non dubitant: „universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari”; quin et „feri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia”. Ex altera vero parte adstruere non verentur: „disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tanquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint”; immo et „Apostolicae Sedis, romanarumque Congregationum decreta scientiae progressum impedire”. Hae et aliae hujusmodi hominum superbientium arrogantiae, quarum falsitas ex iis, quae cap. VIII. de rationis usu et abusu in S. Theologia, item cap. IV. q. V. de Ecclesiae muneribus circa revelationis depositum stabilita sunt, sponte sua profluit, supremo et infallibili Ecclesiae oraculo, tum in Conc. Vat. sess. III. *de fide et ratione* can. 1—3, tum in *Syllabo* pp. IX. et XII, pro merito confixae ac jugulatae sunt. — Procul igitur in rerum theologiarum disquisitione a nobis sit temerarius et tumidus istiusmodi progressus! Maneat in rebus istis menti nostrae alte infixum principium vere catholicum: *credendum esse, ut intelligamus*. Tessera nostra in iis constanter sit illud S. Leonis M. effatum: „Neminem ad cognitionem veritatis magis propinquare, quam qui intelligit, in rebus divinis, etiam si multum proficiat, semper sibi superesse quod quaerat.” Serm. 9. *de Nativ. Dom.*

## Caput X.

*De methodica Theologiae universae distributione  
in varios tractatus particulares.*

Capite VII. Q. I. dictum fuit, methodum systematicam, qua np. res tractandae sic ordinantur aut disponuntur, ut omnes ab uno principio dependere, et ad illud reduci videantur, S. Theologiae prae ceteris convenire. Habita rei istius ratione, in Theologia *dogmatica*, prout illa moribus nostris a *Morali* distingui consuevit, agitur 1<sup>o</sup> de Deo *uno* in essentia, et *trino* in personis. 2<sup>o</sup> de Deo rerum omnium *creatore*. 3<sup>o</sup> de Deo *redemptore*, seu de Incarnatione Verbi Dei. 4<sup>o</sup> de Deo *sanctificatore*, sive de effectibus Incarnationis erga nos homines, videlicet de gratia, justificatione et merito; quibus, velut instrumenta seu media, quibus gratia cum ejusdem effectibus, justificatione nempe et merito, potissimum applicatur, succedunt tractatus de sacramentis in genere et in specie, unà cum tractatu de Missae Sacrificio atque indulgentiis. 5<sup>o</sup> de Deo *consummatore*, seu de quatuor hominum Novissimis. — In Theologia autem *morali*, attentâ morum seu agendorum naturâ, ordine logico dicitur 1<sup>o</sup> de actibus humanis, eorumque moralitate. 2<sup>o</sup> de regulis moralitatis, seu de legibus et conscientia. 3<sup>o</sup> de dissonantia a regulis morum, sive de vitiis et peccatis. 4<sup>o</sup> de convenientia cum regulis morum, seu de virtutibus cùm theologicis tùm moralibus.

*Nota.* Reliqua, quae in cursu theologico de *censuris*, de *irregularitate*, et aliis quibusdam materiis explanari solent, ad Jus Canonicum potius spectant; ideoque a praesenti ordine exorbitant.

A. M. D. G.

# INDEX.

	PAG.
Monitum . . . . .	3
Ordo Tractatûs . . . . .	6

## CAPUT I.

*De natura, objecto et fine S. Theologiae.*

I. Quid Theologiae nomine universim intelligatur? indicando praecipuas termini illius acceptiones. . . . .	7
II. Quomodo Theologia, in sensu proprio et consueto accepta, definiri possit? definitionem exponendo . . . . .	9
III. Unde pateat, Theologiam sic acceptam, jure optimo scientiae nomine condecorari? addendo 2) qua ratione aut modo scientia ista cum a Philosophia tum a fide Theologica potissimum discrepet? 3) quae differentia Theologum inter et simplicem fidelem praecacteris attendenda sit . . . . .	11
IV. Quod sit Theologiae objectum cum materiale tum formale? . . . . .	14
V. Quis tandem sit finis, quem S. Theologia sibi praestitutum habet? . . . . .	17

## CAPUT II.

*De necessitate et praestantia S. Theologiae.*

- I. An et quatenus scientia theologica necessaria sit: et quid inde 2) deducere liceat cum respectu ad studium theologicum? . . . . 18
- II. Quid, attentâ Theologiae naturâ aut qualitate, de ejusdem praestantia generatim statui possit? 21
- III. In quibus S. Theologia ceteris scientiis nominatim antecellat seu praestet? . . . . 23

## CAPUT III.

*De variis Theologiae divisionibus.*

- I. Quot et quae Theologiae divisiones praecae-  
teris attendendae sint? . . . . 24
- II. Quid in divisiones istas generatim animadverti  
possit et debeat? . . . . 29
- III. Quaenam speciatim, quantum ad Theologiam  
moralem, item Scholasticam, sub respectu  
historico ac theologico advertenda sint? . . 30

## CAPUT IV.

*De principiis, argumentis et regulis Theologiae.*

- I. Quid sint *principia* S. Theologiae? indicando  
varias eorum species aut genera . . . . 37
- II. Quid *argumentorum* nomine significetur, et  
quomodo a principiis praesertim differant? . 38
- III. Quid per *regulas* Theologiae intelligatur?  
2) Quot et quae assignari soleant? 3) Quo  
pacto a principiis et argumentis theologicis po-  
tissimum discrepent? . . . . , . . 39
- IV. Unde pateat, in S. Theologia, sive scientifica  
religionis christianae explanatone, Ecclesiae



- auctoritati ac doctrinae primarie attendendum et inhaerendum esse; et quid inde 2) cum respectu ad principia nec non argumenta ex regulis inanimatis assumpta deducere liceat? . . . 40
- V. Quot et quae sint Ecclesiae munia seu officia circa revelationis depositum ipsi divinitus commissum; et quid ex iis 2) concludi possit ac debeat contra nimiam opinandi libertatem, quam nonnulli sibi permittunt, aut etiam tueri non verentur? . . . . . 44
- VI. An et quatenus Ecclesia Christi in muneribus istis exercendis infallibilis sit; seu quodnam sit infallibilitatis ecclesiasticae subjectum, item objectum; et qua certitudine singulum constet? 48
- VII. Quid speciatim de infallibilitate Rom. Pontificis fide certum sit? 2) Quaenam pro recta dogmatis istius intelligentia et applicatione animadverti possint? 3) Quid, horum ratione habita, nominatim iudicandum sit de *Syllabo*, anno 1864 unà cum Encyclicâ *Quanta cura* evulgato? . . . . . 51

## CAPUT V.

*De fontibus seu locis theologicis.*

- I. Quid sint fontes seu loci theologici, et qua ratione aut modo iidem a regulis theologicis discrepent? . . . . . 59
- II. Quot et qui fontes seu loci theologici assignari soleant, et quomodo iidem distingui aut dividi possint? . . . . . 59
- III. Quid generatim advertendum sit, ut vis argumentorum, quae ex locis illis assumuntur,

	PAG.
probe intelligatur? . . . . .	61
IV. Quanti nominatim valeant argumenta, ex fontibus seu locis <i>primariis</i> , cùm continentibus tùm applicantibus, deprompta? . . . . .	62
V. Quid pariter valeat SS. Patrum, nec non Theologorum et Canonistarum auctoritas? indicando 2) alia media, quibus Ecclesiae dispersae doctrina, sensus et praxis comprobari solet.	71
VI. Quid tandem de fontibus seu locis <i>subsidiariis</i> S. Theologiae speciatim animadverti possit ac debeat? . . . . .	74

## CAPUT VI.

*De variis veritatum gradibus in Theologia distinguendis.*

- |   |    |
|---|----|
| I. Quot et qui veritatum gradus in S. Theologia distingui soleant? indicando praecipuas veritatum species, quae ad singulum referuntur .  | 76 |
| II. Quid in gradus illos, pro recta eorum applicatione, adnotari possit? . . . . .  | 80 |
| III. An et quomodo peccet, vel etiam haereticus dicendus sit, qui veritates theologice certas impugnare, aut propositiones ab Ecclesia infra notam haereseos damnatas propugnare non veretur? . . . . . | 83 |

## CAPUT VII.

*De ratione seu methodo docendi et discendi Theologiam.*

- |  |    |
|--|----|
| I. An et quae methodus in docenda et discenda Theologia prae ceteris expediat? . . . . . | 85 |
| II. Quid rei istius respectu in quavis rerum theo-                                       |    |

	PAG.
logicarum pertractatione primùm curandum sit?	86
III. Quae insuper pro scientifica rerum illarum notione praestanda sint? . . . . .	86
IV. Quomodo pro hostium diversitate in ipsa veritatis catholicae tuitione aut defensione procedendum sit? . . . . .	89
V. Quae tandem media Theologiae Candidatis arripienda sint, ut fructus uberiores ex studiis colligant? . . . . .	96

## CAPUT VIII.

*De rationis naturalis usu et abusu in Sacra  
Theologia.*

I. Quanti referat accurata rei istius notitia? .	100
II. Quot et quae errorum genera hac in re distinguenda sint? assignando 2) veram aut principem belli istius originem. . . . .	100
III. Quid de mutuo fidei et rationis foedere universim tenendum sit? . . . . .	102
IV. Quotupliciter ipsamet ratio in relatione ad fidem spectari possit, et quae sint illius jura et officia sub singulo respectu? . . . .	103
V. Quae vicissim fides praestet cum respectu ad rationem naturalem; et quid ex iis 2) deduci possit tum circa rationis ac Philosophiae debitum in rerum etiam naturalium exploratione, tum contra errores hac in re vigentes? .	112

## CAPUT IX.

*De vera et falsa doctrinae revelatae progressionem.*

I. Quotuplex progressus in rebus theologicis dis-	
---	--

	PAG.
tingui possit, et quid de singulo judican- dum? . . . . .	115
II. Qui errores in hac materia specialiter evitandi sint? . . . . .	118

## CAPUT X.

De methodica Theologiae universae distributione in varios tractatus particulares . . . . .	122
---	-----

